SA

Ad

. P

Publici

Addi

EO

Nou

sumpti

De SACERDOTVM OBLIGATIONIBVS

Ad Missas pro aliis ex justitia celebrandas

OPERA

P. PAVLI FRAXINELLI

Ordinis Sancti Augustini

Publici in Bononiensi Archigymnasio S. Theol. Professoris.

Additis Decretis S. Congregationis Concilii, Vrbani VIII.

EORUMQUE DECLARATIONIBUS

Nouies ac secundum in Germania nunc edita



COLONIAE AGRIPPINAE
Sumptibus SEBASTIANI KETTELER
Anno M.DC LXXXXIII

PRÆSTANTISSIMO,
ac R. Adm. Patri

HIPPOLYTO
MERATO BONO-
niensi

ORDINIS EREMITARUM
S. Augustini Congregationis Observantiæ Lombardiæ S. Theologiæ Lectori, Concionatori summo, Præsuli meritissimo

Bartholomæus Fontana S. P. D.

Celeberrimum hoc Opus de Sacerdotum obligationibus ad Missas, quod famæ immortalitate donatum denuò quidem è nostra prodit Typographia, sed jam octavo

lucē aspicit, & cōmunis Doctorū Virorum applausus excipit, Tibi Patrono Optimo, genuinæ probitatis conspicuo, sapientia diviti, prudentia magno, amicis grato, tuis suprà quam dici queat salutari: omnibus admirabili, libens & meritò dono, dedicoque libens propter memoriam tuorum in me beneficiorū; meritò propter Disputationem Theologicam Viro Theologo dignissimam, & propter Auctorem Paulū Fraxinellū Tibi patria, religione, affinitate, amicitia, atq; eruditionis, & virtutum omniū præstantia conjunctissimū, Te rogo, ut mun⁹ hoc meū magnę in Te observantiæ exiguū monumentū candore illo quo es præditus, ingenuo accipere velis. Et vale.

Venetiis. xij Kal. Ian.

Fa-

Facultas Reverendiss. Patris Generalis Ordinis S. Augustini.

Magister F. Hieronymus de Ghettis Romanus Ordinis Eremitarum S. Augustini Prior Generalis indignus. Reverendo, & nobis in Christo dilecto, Patri magistro F. Paulo Fraxinello Bononiensi, in eadem Universitate publico S. Theologia Lectori.

Cùm acceperimus te luculenter scripsisse opus, titulo de Obligationibus Sacerdotum: idque Sacerdotibus, & caeteris divinarum Literarũ Professoribus esse fructuosum, eã ob rem, virtute praesentium, & nostri muneris auctoritate, ad commune bonum (reservato Dominorum superiorum beneplacito) illud imprimendi facultatem concedimus. Dat. Romae die 14. Februarii.

F. Hieronymus Romanus Gen. ind.

Locus Sigilli.

Regist. lib. 2.

INDEX QVÆSTIO-
num.

ET DIFFICVLTATVM.

*Quæ breviter in hac Disputa-
tione resolvun-
tur.*

De valore Missæ.

* 50

)(7 57. An

De Missæ Stipendio.

*77

•84. An

De Sacerdotibus, beneficiariis, seu de Capellanis.

ternitatum

De Parochis,

De Missa quotidiana.

De Missis S. Gregorij.

)( )(

De Regularibus.

140. An

De Ecclesijs, & Monasterijs.

De Prælatorum auctoritate in subditos Sacerdotes quo ad celebrationem Missarum.

De Remedijs.

Varia Quæsita.

in foro

198

DE

SAC

OB

Ad Mis

D

Disputati
distrib
In prima
In secunda
In tertia
menta
In quarta
cultas.
In quinta
diolene
Decret
bani V
edita,

DE SACERDOTVM OBLIGATIONIBVS.

Ad Missas pro alijs ex iustitia celebrandas DISPVTATIO.

Disputatio hæc in septem partes, & sectiones distribuitur.

In prima Titulus Disputationis explicatur.

In secunda Disputationis proponitur occasio.

In tertia Prænotiones quædam, & fundamenta constituuntur.

In quarta Conclusionibus resoluitur difficultas.

In quinta sunt Decisiones Pœnitentiariæ Mediolenensis, huic Operi consentientes: & Decreta S. Congregationis Concilij; Vrbani VIII. Summi Pontificis auctoritate edita, de celebratione Missarum, vniuer-

sam hanc materiam determinantia: & Declarationes eiusdem S. Congregationis super prædictis Decretis; vbi multa sanctißimè explicantur & decernuntur.

In sexta plura soluuntur argumenta, quæ tàm vniuersaliter pro omnibus Sacerdotibus, quàm specialiter pro Collegiatis Ecclesiis, vel Monasterijs, & pro Regularibus fieri possunt.

In septima denique multa producuntur, & examinantur Remedia pro Ecclesiis, Monasterijs, Capellanis, ac cæteris Sacerdotibus, qui multis Missarum obligationibus coarctantur.

SECTIO I.

Explicatio Tituli Disputationis.

Obligationes variæ ad celebrandum.

SAcerdos diuersis de causis ad Missam pro alijs celebrandam obligari potest, vt Franciscus Suarez rectè adnotauit. *tom. 3. in 3. p. qu. 83. disp. 86. in initio.*

Ex voto.

1 Ex voto; quando scilicet aliquis Sacerdos ad sacrificium pro aliquo offerēdum voto se obstringit: cùm enim

sacri

sacrificium Missæ sit opus religionis, materia voti potest esse.

2 Ex obedientia; quando subdito sacerdoti à suo Prelato, qui iurisdictionem habet, præcipitur, vt Missam pro aliquo celebret. Obediẽtia.

3 Ex promissione humana; quando Sacerdos alicui se Missæ sacrificium oblaturum spopondit: nam promissio homini exhibita obligat ad faciendũ, quod statutum est, ne virtus fidelitatis, seu fidei violetur. Greg. Val. *2.2. disp. 6. q. 6. de voto, punc. 1.* Less. *de iust & iur. lib. 2. c. 18. dub. 8. & etiam obligat sub mortali in re graui.* Aragon. *de iu. & iu. q. 88. de voto art. 3. de obl. simpl. promiß. &* Less. *loco cit.* Promissione.

4 Ex charitate; qua quidem leuis ad celebrandum Sacerdoti oritur obligatio, cùm non sit de re ad salutẽ proximi simpliciter necessaria: nisi tanta aliquando sit proximi necessitas, vt grauior ex charitate obligatio inferatur. Charitate.

5 Ex iustitia demũ, & pacto inter stipẽ pro Missa celebranda cõferentem, Iustitia.

& Sacerdotem acceptantem, & promittentem. De hac vltima obligation est proposita Quæstio.

SECTIO II.

Occasio disputationis.

MVltæ sunt Ecclesiæ & Monasteria, quæ ex piorũ antiquis legati longè quidẽ maioris numeri dicenda rum Missarum onere premuntur, qu Sacerdotum copiá habeãt, qui eas va leant celebrare. Nouæ tamen obliga tiones eisdem quotidie ex particular bus stipendijs adueniunt, cũ pro mo tuis, tùm pro alijs Missis votiuis, occa sione Altaris priuilegiati, vel B. Virg nis, vel aliorũ Sanctorũ. Et sæpe omn Missæ dictarum Ecclesiarum, vel Mo nasteriorum promittuntur quibusda diebus in exequijs, siue pro officijs, v vocant, defunctorum, qui in eis, qu interdum sepulturis abundant, sepel untur. Quæ aduentitiæ obligation solæ tot sunt aliquando, vt prædicti Sa cerdotes non possint eis perfectè satis facere.

Conti

Contingit autē, vt alij denuò, vel ſuis teſtamentis legent, vel aliàs inter viuos Eccleſijs eiuſmodi, vel Monaſterijs tot aureos præbeant, vt Sacerdotes in eis degentes Miſſam quotidianam, vel bis in hebdomada, vel Anniuerſarium in perpetuum celebrent: & ipſi has petitiones reſpuere verentur; ſed promittunt, & ad eas Miſſas dicendas obligantur; cùm tamen fieri non poſſit, vt oneri ab eis ſatisfiat.

Tum propter antiquas & maximas obligationes, quas prædeceſſores acceptarunt, atque adeo tranſierunt ad ſucceſſores. Butr *n. 5 ſignificatum de prob nu.* 12. *ad fin.* & Abb. *nu.* 7 *apud* M. Ant. Cenuē. *prax. Archiep. ann. ad c.* 47. *vel* 56 *nu.* 4

Tum quia ab eo die, quo prædictæ Miſſæ, vel Anniuerſarium ab eis celebrandum eſt, aduentitia ſtipendia pro alijs Miſſis votiuis, vel exequijs eis adferuntur: quæ quidem ſtipendia ſi recuſarentur, hoc beneficio priuaretur Eccleſia, vel Monaſteriū; & particulares eiuſmodi Miſſas petētes ægrè ferrēt, ſi reijcertur.

 Simi-

Similiter multi sunt Sacerdotes; qui beneficio Capellaniæ quotidie, siue te in hebdomada, vel in alio modo cele brare tenentur; vel beneficio huiusmo di carentes, particularia stipendia pr tot, vel his, aut illis Missis dicendis iam receperunt; atque ad eas celebranda promissione se se deuinxerunt; si hi postea alia noua stipendia ab alijs e hibentur, vt pro ipsis Missæ sacrificiu offerant, quod alijs debebatur.

Quæritur, *an hæc Monasteria, vel E clesiæ, siue particulares, tam Capellaniæ o stricti, quam liberi Sacerdotes noua eiusmo legata, vel aduentitia stipendia accipere, hisce nouis obligationib. tuta conscientia possint obstringere.*

SECTIO III.

Prænotiones veritatem difficultatis aperientes.

VT conuenienter, & perspicuè e grauissimorum Theologorum sententia, & auctoritate propositæ dif ficultati respondeatur, nónullæ prius tanquam fundamenta, constituenda sunt Prænotiones. PRÆ-

PRÆNOTIO I.

COmmune est omnibus Doctoribus, inter dantes stipendium pro celebranda Missa, & Sacerdotes illud recipientes obligationem oriri ex iustitia commutatiua.

Obligatio ex iustitia inter Sacerdotem & stipem dãtem.

§. 1. Quod ex intentione dantium & accipientium ostenditur: qui enim dant, volunt obligare ad celebrãdum; & qui recipiunt, obligationem celebrandi acceptant; vt patet præcipuè in publicis Notariorum tabulis in eiusmodi causis: ideo inter eos vera iustitiæ ratio intercedit, quæ in mutuo consensu oneroso, & ex mutua promissione oritur.

1 Deinde, qui dat stipendium, tenetur Sacerdoti, si pro stipendio promisso priùs celebrauit, illud ex iustitia soluere, sicuti ex foro cõtẽtioso aliquãdo perspicitur: quare & Sacerdos, qui stipendium recipit, ex iustitia tenetur satisfacere, & Missam dicere secundùm intentionem stipem conferentis. Syluest. *verbo Missa* 1. *n.* 10. Cordub. *li.* 1.

qq.Theolog.q.3.concl.5. Mart. Naua.*Man.* *cap.25.n.92.*Pet.Nau. *de rest.lib.2.cap.2* *nu.* 31.Suar. *tom.3.in 3.p.disp.36. sect.1* Ioa.Bapt.Scort. *de sacrif. Missæ lib. 2. cap* 10.

Non in stipendio Missæ.

3 Quæ quidem iustitia non constituitur inter stipendium & officium Missæ; nam iustitiæ ęqualitas inter Missæ sacrificium & stipendium non potest assignari: cùm enim Missa res spiritualis sit, simonia committeretur, sed inter stipendium dantem & Sacerdotem, (cui stipendium datur, non absolutè pro sacrificio, sed pro sui sustentatione) ad celebrationem Missæ: nam ratione stipendij tenetur obligatione iustitiæ ad celebrandum. Abb. *in c.1.de sepult.num.2.*Pet.Ledes.*sum.par.1.de Euchar.cap.18.conc.4.* Aragon. *de iust.& iu. q.85.art.3.dub.de eo, qui ad idem sacrificium, vni debitum, plures admittit.* Vasq. *tom.3.in 3.par.disp.234. cap. 4.* Suar. *vbi sup.*Pitigian.*4.dist.13.q.2.art.7.* Molfes. *prompt.iur.tom.1.tract.3.cap.16.nu.12.* Io. Cruz.*direct.consc.præcep.7. de Simon. dub. 5.conc.1.& 2.*

§.II.

§. II. Hinc ſequitur primò, ſacerdotem ſine labe, ac nota Simoniæ apud legitimum Iudicem, & via iuris ſtipendia pro Miſſarum celebratione à ſoluere recuſantibus exigere poſſe: ſtipendia enim exquiruntur, non vt pretium ſacrificij, ſed vt merces laboris & operæ; vel vt eleemoſyna, ſuperioris lege, aut conſuetudine Sacerdotum ſuſtentationi debita. Alex. de Ales, *par. 2. q. 167. de ſimon. memb. 4. ar. 1.* Aluar. Pelag. *ac planc. eccl. par. 2. ar. 27. nu.* 19. Caiet. *ſum verb. ſimonia. reg.* 4. Soto *de iuſt. & iu. li.* 9. *q.* 6. Azor. *inſt. mor. par.* 3. *lib.* 12. *ibi. c.* 6. *q.* 2. *Quod ſi vnus.* Seb. Med. *Sum. pecca. tit.* 6. *de auaritia. q.* 110. Bellet. *diſquiſ. cleric par.* 1. *de bonis clericor.* §. 3. *nu.* 18. *ex declaratione S. Congr. Concilij. ſeſſ.* 22. *decr. de obſeruand. & vitan. in celebr. Miſſ.* §. *Illiberales.* Molfeſ. *vbi ſup.*

Sacerdos via iuris poteſt non ſoluta ſtipẽdia exigere.

§. III. Sequitur ſecundò, Sacerdotem pro obligatione celebrandi ſummo mane, vel in loco à ciuitate, vel oppido diſtanti, pro labore præuio in itinere; vel etiam ad celebrandum

Stipendiũ pinguius pro Miſſa ſummo mane, vel in locô diſtante.

dum certis diebus, & in determinatis locis, posse pinguius recipere stipendium, quàm lege sit, aut consuetudine receptum. *ex c. Significatum, de præben.*

Gratis celebrandum quomodo.

1 Differunt enim ministrare Sacramentum, & obligari ad tali tempore & loco administrandum & celebrãdum: ideò Sacerdos, qui aliàs gratis celebrare tenetur, gratis non tenetur celebrare in tali loco, & tempore: ergo ratione huius obligationis, & pretij suæ libertatis potest aliquid accipere. Arag. *de iust. & iur. q. 100. de simon. ar. 2. dub. de vẽdente laborem, &c. concl. 4.*

Labor in Missa duplex.

2 Præterea, *labor*, qui sumitur in celebratione Missæ, sicut etiam in administratione sacramentorum, est *duplex*. *Alter* est intrinsecus, cum ipsa actione coniunctus, quæ aliquem laborem exigit; vt legere Missam, & aquam eleuare ad baptizandum; qui quidem labor spiritualis est, cum actio hæc laboriosa rem spiritualem efficiat, id est, gratiam: & habeat originem à principio spirituali,

tuali, id est, ab Ordine sacro: ideo pro hoc labore pecuniam sumere, simonia est. D. Thom. 2.2. *q.* 100. *art.* 2. Caiet. *sum. verb. Simon.* Syluest. *tit. eod.* §. 5. Sot. *de iust. & iu. lib.* 9. *q.* 6. *ar.* 1. Arag. *vbi sup. concl.* 1. Pitigian. 4. *dist.* 13. *q.* 2. *ar.* 7. Io. Cruz. *direct. conscien. præc.* 7. *de simon. dub.* 5. *concl.* 1. *&* 2.

3 *Alter labor* in celebratione est extrinsecus, & antecedens ipsam celebrationem, vt ire ad loca distantia; qui labor est merè temporalis, & per accidēs sacrificio annexus, & per se pretio æstimabilis: ideo maiori stipendio compensari potest. Abb. *in c. cùm secundum. de præben. n.* 3. Caiet. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. Bartholom. Med. *sum. l.* 1. *c.* 14. §. 20. Aragon. *loco cit. conc.* 3. Less. *de iust. & iure li.* 2. *c.* 35. *dub.* 8. *num.* 45. *ex communi Doctorum consensu.*

§. IV. Sequitur tertiò, quòd Sacerdotes diuites, siue ex bonis temporalibus, & hæreditarijs, siue ex bonis Ecclesiasticis, vt sunt aliqua simplicia, beneficia, Canonicatus, & huiusmodi;

Diuus Sacerdos ritè pro Missa stipendiū sumit.

di; pro quibus dicti Sacerdotes non tenentur celebrare; possunt legitimè stipendia pro Missis dicendis accipere. Gloss. & Doctores *in 6. Clericos. 1. q. 2.* S. *Th. quodlib. 6. artic.* 10. Gabr. *super can. Miss. lect.* 28. Soto *de iust. & iu. li.* 9. *q.* 6. *ar.* 1. Nauar. *Man. c.* 23. *num.* 102. Suar. *tom.* 3 *in* 3. *p. disp.* 86. *sect.* 3. *conc.* 1. & 2. Aragon *de iust. & iu. q.* 100. *de simon a.* 2. *dub. de Cler. diuite.* 10. Bap. Bernar. Posseu in. *de off. cur. c.* 2. *n.* 20. Molfes. *promptua. iur. tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 10. *nu.* 14.

1 Nam Sacerdoti celebranti debetur ex iustitia sustentatio, vt dictum est, §. 1. At Sacerdos diues pro hoc, vel pro illo celebrat; ergo iustè ab hoc, vel ab illo Missam petente stipendium recipere potest.

2 Præterea, Sacerdoti valde extrinsecũ est, & per accidens, vt sit diues: nó enim celebrat vt diues, sed vt sacerdos: ergo dum celebrando Altari seruit, de iure ab Altari sustentationem, ex stipendio suscipere potest. Suar. *loco citato.*

* 3 Licèt enim in sacerdote diuite cesset necessitas victus, adest labori ministerio, pro quo recipit, stipendum. *Molfes. vbi sup. respons. 4.*

§. V. Sequitur quartò, dignosci posse, an liceat sacerdoti de iusto stipendio pro Missis ad sui sustentationem pacisci. Pacisci an de stipendio. possint.

1 Nam iure antiquo fuisset Simonia. *cap. fin. de pactis. cap. quaesitum. de rerum procurat. c. tua nos, de simonia. c. quam pio. 1. q. 2.*

2 At verò solis pauperibus Sacerdotibus licere, qui aliunde non possunt sustentari docuit Caietan. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3.

3 Sed omnes sacerdotes tā pauperes, quam diuites iure naturæ fortasse pacisci valent. Sacerdotibus enim ex iustitia debetur sustentatio, siue sint pauperes, siue diuites; ergo possunt de stipendio sustentationis pacisci: nam quilibet pacisci potest de eo sibi dando, quod ipsi iure naturæ debetur; & quod iure petitur, iure etiam in pactū deducitur;

citur; dummodo Sacerdotes expresse declarent, se non pro Missæ officio, sed pro necessaria sustentatione illud exigere, ne speciem quandam negotiationis, atque adeo scandalum imperitis exhibeant. Caiet. *sum. verbo Simonia. reg.* 4. Aragon, *de iust. & iu. q.* 100. *de Simon. art.* 2. *dub. vtrum liceat ministris Ecclesiæ stipendia sub pacto ponere.* Less. *ibid. lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 8. *num.* 49. *& seqq.* Io. Cruz *direct. conscien. præcep.* 7. *de* Simon. *con. c.* 2.

A pacto abstinendum potius.

4. Ab hoc tamen pacto re vera abstinendum est, tum quia vix potest esse sine lucri auiditate, vel sine negotiatione, & scandalo.

Tum quia in foro exteriori præsumptio esset, in eo simoniam committi. Nau. *man. c.* 23. *n.* 101. Posseu. *de off. cur. c.* 2. *nu.* 2.

Tum quia Concilium Tridentinum *sess.* 22. *decr. de obseru. & euitan. in celeb. Missar.* statuit, vt Episcopi omnino prohibeant cuiusuis generis mercedum conditiones, pacta & illiberales,

&

& importunas eleemoſynarum exactiones potiùs, quàm poſtulationes.

5 Pro obligatione verò his, aut illis diebus; ſiue hac, vel illa hora, ſiue in hoc, vel in illo loco celebrandi, licitum eſt de ſtipendio paciſci; quia tali tempore, & loco celebrare, temporale eſt. Caiet. 2. 2. *q.* 100. *ar.* 3. Soto *de iuſt. & iu. l.* 9. *q.* 6. *art.* 1. Nau. *man. c.* 23. *n.* 101. Ludo. Lop. *inſtructor. conſcien. p.* 2. *c.* 51. *q.* 5. Ant. Litter. *ſum. compend. p.* 1. *de ſimon. c.* 66. *nu.* 27. & 28. **At non à facto certi loci, aut temporis.**

6 Eodem modo dicendum eſt de labore itineris ad Miſſas celebrandas; cùm enim ſit opus antecedens Miſſæ ſacrificium, Sacerdos de ſtipendio ſine Simonia poteſt conuenire. **Aut laboris in itinere.**

7 Vtrumque tamen cautiſſimè agendum propter negotiationem, & ſcandalum, & Concilium Trid. *hic ſup.* relatum *num.* 4. **Cautè tamen.**

* §. VI. Sequitur quintò, vt diſſolui poſſit difficultas, an Sacerdos celebrans propter eleemoſynam, aliàs non celebraturus, ſimoniam committat; nã diſtinguendum eſt. **Propter ſtipendium celebrans, an ſit ſimoniacus.**

*1.

* 1. Si propoſito illa, *propter* (ſ. eleemoſynam) eſt nota cauſſæ finalis, vltimæ, & principalis; ſimonia eſt. Abb. *in c, conſulu. de celebr. Miſſ.*

* 2. Si verò ſignificat Sacerdotis ſuſtentationem, & pro mercede ſibi debita, tum iure diuino, ex eo Lucæ *c.* 10 *Dignus eſt operarius mercede ſua*; & 1. *ad Corinth. c.* 9. *Qui Altari deſeruit, de Altari viuat* : tum iure humano, ex lege legitimi ſuperioris, vel conſuetudine, null eſt ſimonia; vt ſupra oſtenditur. §. 1. *n.* *& §. 2. & ſeqq.*

* 3. Neque obſtat, quod tunc non celebraret Sacerdos, niſi pecuniam ſumeret; nam pecunia nõ eſt cauſſa principalis & totalis, vt celebret; ſed occaſio, & finis ſecundarius. D. Th. *quodlib.* 8. *q.* 6. Sylueſt. *verbo Simonia num.* 9. *§. ſecundum* Pitig. 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 7. *fi.* Io. Bapt. Corr. *reſponſ. tom.* 1 *q.* 40.

* §. VII. Denique reſolui poteſt dubitatio, an Sacerdos Confeſſarius poenitenti iniungens pecuniam pro celebratione Miſſarum, ipſe legitimè

Confeſſarius, an

ſine

ſine turpi lucro eam pecuniam à pœnitente ſibi oblatam accipere, vel alio modo exquirere, & eas Miſſas iniunctas dicere poſſit, aut debeat.

poſsit pœnitenti iungere pecuniam pro Miſsis à ſeipſo dicendis.

* 1. Reſpondetur, quòd poſſet quidem de rigore, quando nullum inde ſcandalum, vel admiratio ſequeretur. Angel. *verbo oblatio, num.* 4. Sed re vera ſpecies mali eſt, cùm difficilè ſit non incurrere in aliquam auaritiæ notam. Idcirco eam pecuniam debet reſpuere, & ad aliũ Sacerdoté, nõ ad amicum, neque ad vicinum, mittere; vel gratis celebrare, vel pecuniam ex illis dicendis Miſſis acceptam pauperibus erogare, ipſo ſciente, qui dedit. Angel. *loc cit* Sylueſt. *verb. Decimæ nu.* 6. Rague. *tract. de Miſſa c.* 46. *num.* 3.

* 2. Regularibus autem Sacerdotibus id multo minus licitum eſt. Tum quia cùm in ſtatu perfectionis ſint, & paupertatis, præ cæteris Sacerdotibus lucrum in Sacramentorum adminiſtratione euitare debent. Tum quia nõ ſunt liberi, vt pro libito celebrent; ſed

Regularibus non licet.

ſacri-

ſacrificium debent offerre ſecundùm intentionem ſuorum ſuperiorum: qui quidem volunt, vt pro obligationibus ſui Monaſterij celebretur Raguc. *vbi ſup. Io.* Bapt Corrad. *reſpon. par.* 2. *q.* 357

PRÆNOTIO II.

Duplex obligatio iuſtitiæ ad celebrandum.

OBligatio Sacerdotis ad celebrandum ex iuſtitia dupliciter oriri conſueuit, *beneficio, & particulari ſtipendio.*

§. 1. *Primo modo* intelliguntur Capellaniæ, Anniuerſaria, & huiuſmodi ſimplicia beneficia, in quibus ex eorum inſtitutione obligationes offerendi ſacrificia imponuntur.

Secundo modo ſumuntur aduentitia particularia ſtipendia, quæ ex pacto & conuentione inter dantem & recipientem pro Miſſa celebranda eo modo, quo ſupra dictum eſt in prænot. 1. §. 1. obligationem inducunt. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 86. *ſect.* 1.

§. II. Beneficium autem Curatum obligationem non inducit Miſſas celebrandi

brandi pro ſuis ouibus, abſolutè loquendo; quamuis diebus feſtis vel alijs Parochus celebrare teneatur, vt populus Miſſam audire poſſit. Maior, 4. *diſt.* 45. *q.* 3 *dub.* 3. Palud. *ibid. q.* 3. *dub.* 3. Nau. *Man. c.* 25 *n.* 134 Cordub. *lib.* 1. *q.* 4. *dub.* 5. *ibi*, *Et quia de Curatis*. Suar. *loc. cit.* Vaſq. *to.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 234. *c.* 4. Franciſc. Sylu. *in* 3. *p ad q.* 83. *art.* 1. *q.* 17. Petr. Ledeſ. *ſum. par.* 1. *de Euchar. cap.* 18. *conc.* 3. Molfeſ. *promptuar. iur. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 15. *num.* 42. Roder. *ſum. p.* 1. *c.* 351. *concl.* 1. Io Cruz *direct. conſcien. de ſacrif. Miß. dub.* 8. Henr. Villalob. *ſumm. Theol. mor. & can. tom.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 14. *nu.* 4. — Parochus an teneatur pro ſuo populo celebrare.

1. Nam nullo iure poſitiuo, neque beneficij inſtitutione præcipitur: inſtituitur enim beneficium curatum ad animas doctrina, & Sacramentorum adminiſtratione paſcendas. — Beneficij curati inſtitutio.

2. Præterea, ſi Parochus infirmitate, vel alio iuſto impedimento non celebret, prouidere debet, vt alius Sacerdos Miſsã dicat, vt Parochiani ſacrum audire poſſint, quando ad id tenen-

tur.

tur. At si huiusmodi substitutus Sacerdos celebrando sacrificium prædicto populo non applicet, nihilominus Parochus satisfecisse videtur muneri suo. Ergo Parochus, qui aliàs obligatur ad celebrandum, vt populus Missam audire valeat, quando id tenetur, ad intentionem eiusdem populi celebrare non tenetur. Nam si non obligatur populo applicare per alium, neque per seipsum applicare tenebitur.

* 3 Amplius, à simili Episcopus teneretur pro sua Diœcesi, & Prælatus Regularis pro suis subditis; imò & Papa pro tota Ecclesia, quorum curam habent, sacrificium offerre: quod videtur falsum Francisc. Sylu. *vbi sup.* Filliuc. *quæst. moral tract. 5. c. 6. q. 2. nu. 172.*

4 Si autem consuetudo aliud præscribat, ei standum est: nam consuetudo pro lege habetur, quando lex deest *c. consuitudo* 1. *distinct.* Nau. *vbi sup.* Cord. *loco cit.*

Consuetudo lex est.

5 Hanc verò consuetudinem non obligare sub mortali, probabile est, quando

quando de hoc onere non constat ex tabulis Ecclesiæ; vel ex præcepto Episcopi: cùm in præiudicium alicuius nō sit inducenda obligatio sine claris probationib. Io. Bapt. Bern. Fosseu. *de off. cur. 2. n. 4.*

* 6 At quoniam in Concilio Tridentino *seß. 23. de reform. cap. 1.* dicitur: *Cùm præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c. sacrosancta ynodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factiq; forma gregi, in iudicio, & veritate pascant, & regant.* Ergò videtur, quòd de iure diuino Parochi debeant pro suis ouibus celebrare.

* 7 *Respondetur primò,* quòd verba illa. *Pro his sacrificium offerre,* fortasse possent intelligi de obligatione celebrandi Festis diebus, vt populus præcepto de audienda Missa satisfaciat, vel pro communicandis infirmis, vel pro benedictione nuptiarum, vel aliqua alia simili de caussa; non autem de obliga-

tione

tione applicandi ſacrificium pro oui-bus. Dum enim Parochus celebrat in die feſto, vt populus Miſſam audiat, vel aliàs, vt nuptijs benedicat, benè dici poteſt, quod pro populo ſacrificium offert.

Parochus quando teneatur populo Miſsã applicare.

* 8 *Reſpondetur ſecundò*, quod ſi ſtrictè & propriè, vt decet, prædicta Sacri Conc. verba intelligamus; vt, ſ. Parochus teneatur celebrare, & applicare pro ſuis ouibus; id non eſt accipiendũ, vt quoties celebrare tenetur diebus feſtis, & alijs, applicet pro populo; ſed aliquando: nam Concilium indefinitè loquitur, & non præſcribit, quibus diebus applicare debeat: ideò aliquoties in anno applicare tenebitur, iudicio boni & prudentis viri; hoc eſt in præcipuis Domini ſolemnitatibus. Ita piè, ac prudenter Bonacina *de Sacram. diſp.* 4. *q. vlt. punct.* 7. *prop.* 2. *n.* 5. Barboſ. *de off. & pot. Epi. p* 2. *alleg.* 24. *nu* 23. *Et idem ſentit de Parocho diuite* Alph. de Leo. *de off. & pot. Confeſſar. temp. Iubil. p.* 3. *num* 21.

§ III. Illa verò beneficia ſimpli-

cia

a nullo modo obligant ad celebrandum, quæ ex eorum institutione solum ad psallendum, vel alio modo Ecclesiæ inseruiendum adstringunt; vt sunt quædam dignitates Ecclesiasticæ, vt Canonicatus, & huiusmodi Suar. *disp.* 86. *sect.* 1. Beneficiũ simplex nõ obligat ad celebrãdũ.

PRÆNOTIO III.

TRiplex est Missæ fructus, ex Scoto *quodlib.* 20. *art.* 2. & 3. vt communiter ab omnibus recipitur. Adria, *quodlib.* 8. *artic.* 3. Gabr. *in can Miss. lect.* 26. & 27. Sot. *de iust.* & *iur. lib.* 9. *q.* 2. *art.* 2. Io. Medin. *cod. de orat. tract.* 6. 4. 20. Martin. Nauar. *in cap. quando de consecr. distin.* 1. *notab.* 20. *num.* 81. *apud* Couarru. *in cap. Alma mater. par.* 1. §. 5. *num.* 5. Pet. Nau. *de restitu. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 256. Cor. dub. *lib.* 1. *qu.* 3. *notab.* 4. Aragon. *de iust.* & *iur. q.* 85. *de sacrif. artic.* 3. *ibi. Quartò est aduertendum* Azor. *institut. mor. tom.* 1. *lib.* 10. *qu.* 9. *ad fin. Ant.* Honcala *opusc. de valore Missæ articul.* 4. Petigian. 4. Fructus Missæ multiplex.

dist.3 q.2.art.6.versu, Quintò obseruādum. Molf.*prompt.iu.to.1.tract.3.cap.15.nu.21* Georg. Polac.*aphorism. cærem.miss.*... *xvij.aphor.9.& seqq.* Alex.Sperell. *obseru. de Miss.cap.8.*

§. 1. *Generalis*, quem Ecclesia vult, vt Sacerdos Papæ, Imperatori, Episcopo, & cæteris fidelibus applicet: & hūc non potest Sacerdos danti pro Missa stipendium applicare, cum omnibus si obligatione debitus; quæ obligatio ex communi Ecclesiæ lege, non à stipendio pendet.

Specialis, quo gaudet Sacerdos, dum celebrat; quem nullo iure Missam stipendio petenti applicare tenetur. Tum quia proprius hic fructus est, & personalis: tum quia si Sacerdos in mortali celebrat, nullum percipit fructum & tamen obligationi potest satisfacere, vt omnes tenent.

Medius, qui Sacerdoti committitur vt eum applicet his, pro quibus sacrificium facit, & offert.

§. II. In qua doctrina, communiter

rece-

recepta, etiam ab ijs, qui putant, Missam esse infiniti valoris (vt Cord. Arag. & Petr. Nauar. supra citati) Scotus à veritate non aberrat, vt putat Io. Dominus Montagnolus *disput. de valore Missæ cap.*22.*not.*3. qui triplicem hunc valorem non refert secundum mentem & doctrinā Scoti. Sed hæc distinctio Scoti probabili, & optima ratione firmatur.

Scotus, explicatur pro triplici Missæ fructu.

1. Nam *generalis Missæ fructus*, de quo *hic sup.*§.1. dupliciter applicatur; vel ratione vnionis gratiæ, & charitatis: & fundatur in illo fidei articulo, *Credo Sanctorum communionem*, videlicet, in gratia & charitate existentium; cum ex natura rei bonum vnius membri alteri communicetur: vel ratione generalis intentionis, saltem habitualis Ecclesię, & viri iusti, bonum opus facientis, qui omnes diligit, & vult saltem virtualiter, vt bona sua omnibus valeant: & sic Missæ sacrificium prodest omnibus fidelibus; viuis quidem, vt spirituale bonum obtineant,

Missa quomodo prodest omnibus fidelibus.

ant, à malis temporalibus reseruentur, Dæmones eos oppugnantes, debilitentur, & eiusmodi alia bona, tam spiritualia, quàm corporalia consequantur: de functis autem, vt à pœnis subleuentur, aut liberentur.

Missa quomodo prodest celebranti.

2. *Specialis fructus* est proprius Sacerdotis: nam hic fructus est, ex tali opere fieri bonum implere præceptum, mereri immediatè augmentum gratiæ, & gloriam, gaudium conscientiæ adipisci: quæ ipsi operanti solummodo ex natura operis, & lege diuina conuenire, & prodesse possunt, vt hic supra dictum §.1.

Fructus Missæ applicandus danti stipendia.

3 *Medius* applicatur alteri ex intentione offerentis, quod apertè conuincitur, tum ex vsu expresso Ecclesiæ, quæ Missas instituit pro viuis & defunctis, & pro hoc vel illo defuncto: & pro hoc viuo, vel illo pro salute, pro itinere, & pro aliis particularibus eiusmodi indigentijs: tum ex consuetudine Sacerdotum

Missa

Miſſas applicantium, tum ex intentione Miſſas pro ſuis neceſſitatibus ſtipendio exigentium, qui particulariter volunt ſibi ſacrificium offerri pro ſalute, pro itinere, & ſimilibus: vel pro anima patris, vel fratris, vel alterius: tum ex opportuna congruentia; nam in benè ordinata domo, vbi aliquod bonum diuerſis ſecundùm eorum exigentiam, vel indigentiam eſt diſtribuendum, rationabile eſt, quòd Dominus domus non per ſe immediatè ſingulis diſtribuat; ſed diſtributio alicui, vel aliquibus certis miniſtris committatur, vt iam communiter mos obtinuit: ergo & multo magis in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, conueniens erat, vt bonum, virtute ſacrificij communicandum, non adeo ſolum diſtribueretur: ſed à determinatis miniſtris, videlicet, à ſacerdotibus daretur, & applicaretur. Quamuis enim ſolus Deus effectiuè bonum ſacrificij communicet, tamen Sacerdos diſtributiuè illud impertit, A ſimili.

dum pro perſona cui vult, aut debet offert, & ei applicat ſacrificium. Hæc autem applicatio non eſt ſpecialis, id eſt, pro ſacerdote celebrante, vt patet; neque generalis quia fruſtra ab Eccleſia particulares Miſſarum applicationes eſſent inſtitutæ: ergo medius fructus eſt dicendus, qui valet ad ea, quæ homo ex merito congrui ſibi, vel alij mereri poteſt, & ad pœnarum ſatisfactionem pro peccatis. *Ita habet ex Scoto dicto quodlibet* 20. *&* Lychet. *ibid. &* Cordub. & Arago. *vbi ſup.*

An valor ſpecialis poſſit applicari pro alio ſtipendio.

* 4. Non me latet, aliquos Doctores tenere, Sacerdotem poſſe valorem ſuum ſpecialem ex opere operato alteri applicari. *Ita* Dom. Soto. 4. *diſt.* 11. *q.* *articul.* 5. Nauarr. *Man. cap.* 25. *nu.* 92. & 111. Scor. *de ſacrif. Miſſæ lib.* 1. *cap.* 9. *num.* Citari etiam ſolet Suarez, *diſputation.* 79. *ſect.* 9. *dub. vltim.* ſed immeritò: in calce enim ſectionis, contrarium huius ſententiæ apertiſſimè docet. Citant quoque Mi

Mirandam *manua. Prælat. tom. 1. quæstio. 41. art. 17.* qui quidem licet id asserat in conclusione dicti articuli, in fine postea, secutus Franciscum Suarez, ab ea opinione recedit. Ex eo tamen aliqui deducere vellent, Sacerdotem posse ab vno stipendium pro valore medio vnius Missæ applicando accipere, & ab alio aliud stipendium pro valore speciali sibi debito, ei applicando sumere: & ita vna Missa duobus stipendijs, siue obligationibus satisfacere.

* Ego verò arbitror, non licere, neque posse Sacerdotem, valorem specialem sibi debitum alteri applicare, & pro eo aliud stipendium accipere.

* 5 Non licere quidem: nam in merito gratiæ & gloriæ, & etiam in satisfactione pro pœnis sibi debitis, non videtur, quod Sacerdoti liceat detrimentum pati, & suum meritum gratiæ & gloriæ, & satisfactionem alijs applicare, vt alij in gratia, & gloria crescant. Ratio est, quia

Non licet applicare valorem specialem.

cum Christus magnitudinem, & latitudinem charitatis laudaret, dixit, Io. cap. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: idest; iacturam corporalium bonorum, ac vitæ temporalis pro spirituali bono & vita æterna proximi; quando ratio, & pietas exigit; homo ex charitate subire potest, ac debet: at Christiana charitas hunc terminum non excedit, vt scilicet iacturam in bonis spiritualibus gratiæ & gloriæ patiatur propter spiritualia bona proximi: ergo homini non licet meritum gratiæ & gloriæ sibi adimere, vt proximo applicet, ac donet.

Latitudo charitatis. proximum.

* 6 Adhæc, Sacerdos non certò scit, se esse in gratia: & ex consequenti an sit capax fructus huiusmodi specialis: ergo non licet Sacerdoti valorem sibi proprium & incertum applicare alteri, qui stipendio certo certum petit Missæ fructum.

* 7. At non solùm non licere, sed neque etiam posse hunc valorem alteri

Non potest sacerdos valorem

teri applicari, & præcipuè illi, qui sti- *specialem applicare.*
pendio Missam petit, ostendi potest à
simili in effectibus Sacramentorum ex
opere operato; quoniam in baptismo
datur gratia, ac totius pœnæ remissio:
& tamen non est in potestate baptiza-
ti, vt ea gratia, & remissione se priuet,
nec quoad aliquam eius partem, vt al-
teri applicet. Et eodem modo in satis-
factione Sacramenti Pœnitentiæ, quæ
in Confessione imponitur, remittitur
pœna culpis condonatis debita; & ta-
men remissio & satisfactio huiusmodi
non alteri applicatur.

* 8 Præterea ille, cui concedi- *A simili.*
tur Indulgentia, non potest illius fru-
ctum alteri applicare, quia est priuile-
gium personale; nisi id speciali facul-
tate in concessione Indulgentiæ per-
mittatur; vt docet Diuus Thomas 4.
*distinct. 20. articul. 5. quæstione tertia ad
ad 2.* Ergo fructus ex opere operato in
Missa, qui specialiter obuenit Sacer-
doti, non poterit alteri communi-
cari,

cari, quia eſt perſonalis; & nulla de ho[c] habetur diſpenſatio, & facultas. I*ta te*nent Franciſc. Lichet. *in quodlib.* 20. *Scoti* Honcala *opuſc. de valore Miſſæ articul.* 7 Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. dicta diſp.* 79. *ſect.* 9 *in calce* Roder. *Sum. par.* 1. *c.* 250. *conc.* 1 Mirand. *Manua Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 4[1] *articul.* 17. *in fin.* Bonac. *de Sacramen[t.] diſput.* 4. *qu. vltim. punct.* 8. *num.* 16. Ho[...]mob. *exam. Eccleſiaſt. tom.* 1. *tractat.* 4 *quæſtion.* 125. *fin.* Alphon. *de Leo. de off.* [...] *pot. Confeſſar. temp. Iubil. par. terti[a] num.* 19.

* 9 Quòd verò duobus ſtipendi[is] pro duabus Miſſis propter duplice[m] fructum Miſſæ, medium videlicet, & ſpecialem, non poſſit Sacerdos ſatisfa[-]cere, adeſt decretum Sacræ Congre[-]gationis Concilij, quo præcipitur ſub obteſtatione diuini Iudicij, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad ratio[-]nem attributæ eleemoſynæ præſcripta fuerint. Tot Miſſæ igitur, quot ſunt e[-]leemoſynæ, dicendæ ſunt; non fructus medius, & ſpecialis applicandus. Præ-

Decretum. S. Congr. Concil.

tactum

tactum autem Decretum extensum habebitur cum alijs infra *sect. 4. conc. 1. §. 3. & sectio. 5.*

Vbi est etiam eius declaratio; scilicet, quòd verba illa, *Præscriptæ fuerint,* intelligēda sunt de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit; non autem ab Ordinario. Quòd si tribuens eleemosynam, numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missæ celebrari debent; quot præscripserit Ordinarius secundum morem suæ Ciuitatis, vel Prouinciæ. Ita determinauit eadem Sacra Congregatio *in Declarationibus super Decretis de celebratione Missarum, ad 2. dubium.*

§. III. Ex supradictis apparet, stultam, & contra charitatem non esse petitionem fidelium, qui stipendio curant, vt pro singulis eorum, & non pro omnibus dicatur Missa; vt aliqui clamant, & exagerant: non enim alios fideles excludunt, pro quibus generaliter Ecclesia instituit, ac voluit, vt in Mis- *Fideles rectè petunt, vt pro ipsis solis Missa dicatur.*

Missa offeratur; vt dictum est supra §.1. *num.* 1. *&* §.2. *nu.* 1.

Bedæ affectus in extremis.

* 1 Nam de sancto ac Venerabili Beda refert ex eius discipulo anonymo Ioannes Vualterius *de triplici Cœna Christi, cœna tertia, capite quadragesimo quinto, ibi. Quintò.* quòd sibi vehementer timebat agens animam: ideò per eundem discipulum vocatis Presbiteris Monasterij sui, vnumquemque monuit, & obsecrauit, vt Missas, & orationes pro se facerent. Quod illi libenter se facturos responderunt. Indignum autem esset, vt aliquis diceret tantum Virum stultè, & contra charitatem egisse, dum orauit, vt Missæ pro se, & non pro omnibus dicerentur.

Missæ effectus pro captiuo.

* 2 Præterea, sanctus Gregorius Magnus *homil.* 37. *in Euang.* narrat de quodam, quod cùm ab hostibus captus esset, & apud eos in carcere, ac vinculis detineretur, vxor eius, putans eum iam mortuum, in qualibet hebdomada pro eo Missam offerri curabat: cuius

cuius captiui toties vincula soluebantur, quoties pro eo sacrificium, procurante coniuge, fuerat oblatum. Ergo neque stultum quid, aut contra charitatem fiebat, dum pro eo, & non pro omnibus celebraretur; cùm id fuerit tanto miraculo obfirmatum.

* 3 Adhæc, ipse sanctus Gregorius *lib. 4. dialog. cap. 55.* pro Iusto Monacho, ob tres aureos occultatos, in sterquilinio sepulto, triginta Missas celebrari præcepit; quibus Missis Monachus à pœnis liberatus est; vnde deuotio triginta Missarum S. Gregorij originem sumpsit. Neque hic est quid stulti, aut contra charitatem à sancto Gregorio commissum; quamuis pro Iusto & non pro omnibus oblatum fuerit sacrificium.

Origo deuotionis Missarum S. Grego.

* 4 Deinde sanctus Pater Augustinus *Serm. de Cathedra sancti Petri*, apertè dicit; Adhibeat vnusquisque pro caris suis Sanctorum preces, sacrificia offerat. Sed lux Doctorum, & Abraham nouæ legis, id est, Pater multarum

S. Augustin. Abrahā nouæ legis.

rum gentium, non poterat ſtultè, & contra charitatem dicere, ac docere quod ſacrificia offerantur, ab vnoquoque pro caris ſuis, & non pro omnibus.

* 5. Fauet Concilium Tridentinum *ſeſſ.25.capitul.4.de reform.* vbi tribuens facultatem Epiſcopis in Synodis, & Generalibus Regularium in Capitulis Generalibus reſtringendi magnum numerum Miſſarum, à fidelibus olim defunctis leui ſtipendio relictarum, ſubiungit: *Ita tamen, vt ſemper eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ad pios vſus reliquerunt.* Ergo dicti fideles neque ſtultè, neque contra charitatem Miſſas pro ſeipſis legarunt; alioqui fruſtra iniungeretur à Concilio particularis de illis commemoratio: cùm ſufficeret, quod Miſſæ reſtrictæ pro omnibus celebrarentur.

* 6. Nec deeſt congruentia, & ratio. Pro bono ſpirituali à Sacerdote fidelibus exhibito, bona temporalia

al

ab ipſis fidelibus Sacerdoti debentur, vt inquit D. Paul. 1. *ad Cor. cap.* 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus.* Et S. Auguſtinus in illud *Pſalmi* 80. *Sumite pſalmum, & date tympanum*, ait, ſumite ſpiritualia, & date temporalia. Ergo vice verſa pro bono temporali à fidelibus Sacerdoti elargito, debet Sacerdos bonum ſpirituale fidelibus exhibere. At innumeri homines particularibus Eccleſijs & Sacerdotibus ſuos agros, pecuniam, & alias res temporales tribuerunt, vt pro ſeipſis, & ſuis caris Miſſæ dicerentur: ergo Sacerdotes pro ipſis ſpecialiter celebrare debent. Benè agit de hac re Andreas Peruzzinus Vrcianus *in qq. excerp. qu.* 1. *art.* 2. *conc.* 3.

Proportio inter ſpiritualia Sacerdotum, ac temporalia ſecularium.

§. IV. Miſſæ autem valor, vt omnibus Theologis eſt in confeſſo, *dupliciter* excipitur.

Miſſæ valor dupliciter habetur.

* 1. *Ex opere operantis*, id eſt, ex bonitate, ac meritis Sacerdotis celebrantis, & aliorum, qui aliquo modo, præſentia, miniſterio, ſtipendio, ſacrificium

ficium offerunt: ita vt opus multum, aut parum, aut nihil valeat, prout magna, parua, aut nulla est bonitas & deuotio operantis.

* 2. *Ex opere operato*, hoc est, ex re ipsa, aut ex vi sacrificij, & ex institutione Christi, præter omne meritum, vel demeritum operantis; ita vt hoc opus infallibiliter aliquid conferat per modum solutionis non ponenti obicem, ex thesauro meritorum Christi; vt habetur in Concilio Tridentino. *sess.* 22 *cap* 1. *&* 2. vbi docetur, Christum instituisse Missæ sacrificium, vt virtus sacrificij Crucis in remissionem nostrorum peccatorum quotidie applicaretur. Bellarm. *lib.* 2. *de Missa ca.* 4. Aragon. *de iust. & iu. quæst.* 85. *artic.* 3. *dub. de valore Missæ.* Filliuc. *qu. moral. tract.* 3. *c.* 3. *qu.* 1. *num.* 57.

Valor & fructus Missæ quo modo differāt.

§. V. Et quamuis de rigore sermonis, & propriè loquendo, valor & fructus Missæ differant; quia valor est virtus intrinseca & secundùm se, quæ dicitur sacrificij Missæ sufficientia; fructus verò est

rò est

rò est vis extrinseca, & quoad effe-ctum: quæ dicitur sacrificij Missæ effi-cacia; nihilominus confunduntur, & alter pro altero sumitur indifferenter; vt etiam adnotauit Io. Domin. Monta-gnolus *disputation. de valore Missæ. cap. 2. fundam.* 10.

PRÆNOTIO IV.

Controuersia est inter Theologos, *vtrum valor Missæ ex opere operato sit infiniti, aut finiti valoris.* Fructum enim ex opere operantis, videlicet Sacerdo-tis, saltem quoad meritum, & satisfa-ctionem, non infinitum, sed finitum esse extra controuersiam est. *An valor Missæ infinitus vel finitus.*

§. 1. Quòd sit infinitus, & ex con-sequenti cum sacrificium Missæ pro multis offertur, tantum valeat singulis, ac si pro vno tantum applicaretur, te-nuerunt recentiores aliqui. Caiet. 3. *par. quæst. 79. art. 5. & opusc. tom. 2. tract. 3. quæst. 2.* Syluest. *verbo Missa. 1. q. 9.* Angel. *tit. eo. q. 52.* Viguer. *institut. Theolog. cap. 13.* *Doctores pro infinito valore Missæ.*

ad-

ad 10. Cordub. *lib.* 1. *q.* 3. *opin.* 5. *conc.* 2. ... 3. Pet. Soto *lect.* 7. *de Euchar.* Pet. Naua... *de restit. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 268. Beia *par.* 1. *resp.*... *casu* 12. Aragon. *de iust. & iu. quæ.* 85. *art.*... Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *par. disp.* 230. *ca.* 3. Pet... Led. *sum.* 1. *par.* 1. *de Euchar. ca.* 7. *conc.*... Io. Dom. Montag. *de valore Miss. c.* 3. ... *seqq.*

Doctores pro finito valore Missæ.

Quòd sit finitus, & consequente... cùm sacrificium Missæ pro multis o... fertur, non tantum valeat singulis, ac... pro vno tantum offerretur, constant... docuerunt veteres Theologi. S. Thom... 4. *dist.* 45. *art.* 2. *q.* 3. S. Bonau. *ibid. ar.* 2. ... 3. *ad vlt.* Ricard. *art.* 2. *q.* 3. Durand. *qu.*... *ad* 3. Palud. *q.* 2. *art.* 2. *conc.* 4. & 5. Maior... *qu.* 2. Bachon. 4. *dist.* 20. *qu.* 3. *ait.* 1. Sco... *quodlib.* 20. & Lychet. *ibid.* Adrian. *quod*... *lib.* 8. *artic.* 3. Gab. *in can. Missæ lect.* 26. ... 27. Friburg. *sum. Confess. lib.* 3. *tit.* 34. *qu*... 170. Pisanella *verbo suffragium, num.* 7. & 8. Rosella *verbo Missa, num.* 22. Tabie... *verbo Restitutio, num.* 33. Baptistiniana, *verbo Missa, versu sed nunquid.*

Hos innumeri recentiores sequun...

tur.

tur.Bellarm.*tom.1.controu.lib.2.de Missa, cap.4.proposit.4.*Mich.de Palat.4.*dist.8. disp.1.ad 8.argum.* §.*obseruabis etiam.* Pitigian.4.*dist.13.qu.2.art.6.*Ioan.Yribar. 4.*ead.dist.q.2.sect.6.*Dom. Soto *de iust. & iu.lib.9.qu.2.art.2.concl.* 2. Paduan. de Grass. *Enchirid.Scolast. pag.mihi* 79. Salmer.*tom.9.tract.31.obiect.5.*Bernard. Diaz.*instit.Sacerd.par.2.cap.27.*Io.Med. *tract.de orat.qu.20.*Angles *Flor.Theolog. in 4.par.1.qu.de valore Missæ,art.2.conc.2.* Io.Molan.*compen.Theol.pract.tract.4.de sacrif.Miss.cap.9.concl.2,num.11.& concl. 4.num.17.* Honcala *opusc.de valore Missæ art.5.*Martin.de Frias *de hac quæst.* Ioa. Bapst.Scor.*de sacrif.Miss.lib.1.ca.9.* Azor.*instit.mor.par.1.lib.10.cap.20. qu.8. & 9.*Tolet.*sum.lib.2.cap.8.num.2.* Suar. *tom.in 3.par.disp.79 sect.12.concl.2* Greg. Valent.*in 3.par.tomo suo 4.disp.6.quæst. 11.punc.1.q.5.§.25.* Bartholom.ab Angel.*exam.Confess.dial.5.§.731. & 732.* Luc.Pinel.*tract.de valore Missæ par.1.cap. 11.*Binsfeld.*enchir.Theol.pastoral. de Sacram.Eucharist.cap.9.*Ioan.Bapt. Rub.

de

de diu.off lib.2.de Miſſa cap. 7. Nald. ſum
verbo Miſſa numer.3. Vincent. Mazzo
reg.confeſſ.par.3. de ſtatu Sacerd.num.14
& ſeqq.Iul.Calu.Synax.lib.3.q.19.num
6.& 8.Ioſep. Raguſ.in 3.par.D.Tho.q
1.art.2.diſp.15.§.3. ad1.argum. 1. ſent
Fran. Sylu.ibi.ad quæſt.83.art.1.quæſt.1
Ioa.Bapt.Bert.reſol.moral. de miſſ. quæ
8.dub.33.Ant.Fernand.exam. Theolog
mor.part.3.cap.5.num.7.Pantal.Pauuin
ſpec.animæ lib.2. de ſacrif. Miſſ. numer.
Ioan.Bapt.Conſtant. de off. rector.cur
part.2.tit.3.cap.7.Camero de ſacrif.mi
dub.7.& 9.concl.4.5.& 7.Bonac. de ſ
cram.diſp.4.quæſt.vlt.punc.4. propoſit.
& 3. Alphonſ. Madrig. tract. de Paro
chis conſid.1. Georg.Polac. aphoriſm. c
rem.Miſſ.num.xvij.aphor.6.& ſeqq.Mol
feſ.prompt. iur. tract. 3. cap. 15. num. 20
& 24.Ang.Vant. diſcipl. cleric. de valor
Miſſæ pag. 142. Barboſa de off. & pot.
Epi.par.2. allegat. 24. numer. 7. Henric.
Villalob.ſum.Theolog.mor. & canon par.
1.tract.8.difficult.13.num.5. Alphon. de
Leo.de off.& pot.Confeſſar.temp.iubil.par.

3.nu.

.num. 15. Iacob Bayus *institut. Relig. Christia. lib. 3. de Euchar. cap.* 26. Steph. Fagund. *de præc. eccles. libr. 3. capit. 2. numer. 7. Abbas,* & Ioan. And. *cap. fraternitatem, de sepult. num.* 4. Turrecrem. *canit. non mediocriter. de consec. distinct.* 2. Couarr. *in capit. Alma mater. par.* 1. §. 5. *numero 5. & seqq.* Tuscul. *verbo sepulturæ conclus.* 195. *ex vnanimi* Doctorum *consensu.*

Hanc sententiam cõmunem Theologorum, & certam vocat Bellarminus *loco cit.* & piam, certam, & verissimam Nauarr. *consil. sup. cit.* & Corduba, qui contrariæ est opinionis, eam communissimam appellat. *vbi sup. opin.* 2.

§. II. Primò igitur adnotandum est, Missam esse sacrificium holocaustum, propitiatorium, satisfactorium, meritorium, impetratorium.

1 *Holocaustum*, id est, honorarium, quia Missæ sacrificio maximè honoratur, & laudatur Deus, quantum humanis viribus licet: quod apertè con- — Missa est sacrificium Holocaust.

stat

ſtat ex eius perfectione & ſanctitat
videlicet, tum ex principali offerent
& re oblata, ſcilicet Chriſto; tum e
modo offerendi, ſcilicet per ſuperna
turalem actionem, ac modo impaſſi
bili.

Propitiatorium.

2 *Propitiatorium*, ſiue expiatoriu
pro peccatis: confert enim gratiam, &
peccata remittit; vt definit Conciliu
Tridentinum, *ſeſſ.* 22, *cap.* 2. in hæc ver
ba: *Huius quippe ſacrificij oblatione placat*
Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ c
cedens, crimina & peccata etiam ingentia d
mittit. Licèt enim immediatè, & p

Delet mediatè peccata mortalia.

ſe non conferat gratiam, neque ho
modo peccata illorum deleat, pro qui
bus offertur: alioquin Confeſſio no
eſſet ſimpliciter neceſſaria ad tollen
dum peccatum mortale poſt Baptiſm
commiſſum; neque diceretur ſecund
tabula poſt naufragium: expiat tamen
mediatè, & per aliud, id eſt, per pœni-
tentiam, quam à Deo impetrat. Ideo
dicit S. Thom. 4. *diſtin.* 12. *quæſt.* 2. *art.* 2.
Peccata mortalia delet, non ſicut cau-

ſa proxima; ſed in quantum gratiam contritionis impetrat. Venialia delet im mediatè & me diatè.

Et peccata venialia delet, immediatè quidem in iuſtis hominibus, qui aliquo modo etiam ipſi offerunt, vel curant, vt pro illis offeratur: alioquin Miſſa eſſet minoris fructus, quam Sacramentalia, vt aqua benedicta, oratio dominica, tunſio pectoris, & ſimilia quod videtur inconueniens. In iuſtis autem, qui nullo modo offerunt, quando pro eis offertur, venialia extinguit mediatè, id eſt, per Miſſam donum à Deo eis impetratur, quo peccata venialia deteſtātur, vel aliquod aliud remedium adhibent, ad peccata venialia delēda inſtitutū. Pal. 4 *diſt.* 12. *qu.* 1. *nu.* 14. Nugn. *de Sacram. tom.* 1. *de Sacrif. par.* 3. *dub.* 6. *conc.* 6. Henriq. *libro* 9. *cap.* 13. *num.* 2. Azor. *inſtitut. moral. par.* 1. *lib.* 10 *cap.* 20. *quæſt.* 4. *& etiam* Cano *de locis lib.* 12. *cap.* 13. *ad* 9. Cordub. *lib.* 1. *quæſt.* 3. *opi.* 4. Io. Bapt. Bert. *reſolut. mor. de Miſſa quæ.* 8. *dubio* 7. Ant. Fernand, *exam. Theolog. mor. par.*

3. *cap.*

3.*cap*.5.*num*.1. Alex. Sperell. *obseruat. celebr. Miss. ca.* 7.

Meritorio.

3 *Meritorium*, quia iustis homin bus viatoribus gratiæ augmentum ob tinet: non immediatè, & sine aliquo ctu meritorio: quia sic infans baptiz tus, amens, dormiens, esset capax h ius effectus, quod est inauditum; s mediatè: nam particularia Dei auxil impetrat, quibus homo iustus bona pera præstat, ac maiorem gratiam co sequitur.

Satisfacto-rium.

Defunctis prodest.

4 *Satisfactorium*, quia pœnas pe catorum, quæ antea sunt remissa, d let & extinguit. Et hic est principa effectus sacrificij Missæ. Et hoc mod defunctis etiam prodest, in Purg torio existentibus: non enim eis pe cata remittit, neque meritum, a gratiæ diuinæ augmentum obtine cùm sint extra viam huius vitæ in qua meritum & gratia aug tur.

Impetra-torium.

5 *Impetratorium*, cùm omnia cu iusuis generis bona nobis impetre

qu

quæ Christus in passione nobis promeruit. Quod ex vsu Ecclesiæ in varijs [illegible]nis, pro varijs donis obtinendis institutis, dignoscitur. Sed præter vsum Ecclesiæ explicari etiam potest.

* Tum ex parte proximè & immediatè offerentis, id est, ipsius sacerdotis; qui quidem, si est in gratia, meretur de condigno, sicut si aliquod aliud bonum faceret; & ex consequenti potest impetrare.

* Tum ex parte principalis offerentis, Christi videlicet; quatenus cum obligatione huius sacrificij coniungitur Christi oratio. Christus enim nunc non est amplius in statu merendi, neque satisfaciendi: sed orandi solummodo, & impetrandi. Non est autem certum, quòd semper fiat huiusmodi impetratio, quia non extat promissio de hac re: sed certum est, quod fieri potest: & quòd si fiat, infallibiliter effectum secuturum.

*Tum

* Tum ex vi institutionis huius sa- crificij. Est enim opus maximè Deo gratum; ergo adiunctum orationi, quæ fit in Missa pro viuis, pro defunctis, pro pace, & alijs, aliquid impetrabit.

Et confirmatur ex eo, quòd homo iustus, quibuscunque operibus, debitis circumstantijs ab eo factis, meretur, sa- tisfacit, & impetrat cœlestia dona: er- go multò magis id fiet per Missæ sacri- ficium, quod est opus dignissimum, & Deo acceptissimum. Suar. *tom. 3. in 3. par. disp. 79. sect. 2.* Azor. *institut. mor. pa. 1. lib 10. cap. 20. qu. 6.* Luc. Pinel. *tract. de valore Missæ par. 1. cap. 7.* Bonac. *de Sacr. disp. 4. qu. vlt. punct. 4. num. 6.* Filliuc. *qq. mor. tract. 5. c. 3. qu. 2. nu. 58.*

In vita Missæ vtilius pro aliquo celebrantur.

§. III. Quare hic legitimè digredi- endum, & nullo modo prætereundum est, fideles maiora beneficia sibi com- parare, si Missas curent sibi celebrari dum viuunt, quàm si eas post mortem sibi dici instituant.

1 Nam missæ pro aliquo dictæ post mortem, solum satisfactoriæ sun-

pro-

pro pœnis, quas animæ luunt in Purgatorio: at in vita pro aliquo celebratæ, nō solū satisfactoriæ sunt, sed etiā propitiatoriæ, meritoriæ, & impetratoriæ: & sic iuuāt in vita, & post mortē. Et ita appositissimè dixit S. Gregorius *lib. 4. dialog. ca. 58. Tutior est via, vt bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum viuit per se, Beatius quippe est liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere.* Hæc ille.

2 Deinde, qui Missas in vita sibi dicendas procurat, potest eisdem cooperari eleemosyna, oratione, pœnitentia, Eucharistiæ sumptione, & alijs bonis operibus: & ita maiorem gradum gratiæ, & gloriæ sibi adipisci.

3 Præterea, Missa boni Sacerdotis, etsi quoad principale Missæ, videlicet quoad Sacramentum, & etiam quoad orationes, quæ fiunt à celebrante in persona Ecclesiæ, non sit maioris fructus, quàm mali Sacerdotis: quoad orationes tamen, quæ à celebrante, vt est persona priuata, funduntur, Boni Sacer. dot. Missa vtilior & quomodo.

tur, maioris efficaciæ est, quàm ma Sacerdotis: nam tunc sacrificium pro aliquo oblatum, ei prodest ex parte sacrificij, & Sacramenti, ex parte Sacerdotis, vt ministri Ecclesiæ, & e parte Sacerdotis, vt est priuata persona, & vir iustus: quantò enim intercessor erit iustior, & Deo carior, tanto faciliùs, quæ petimus, nobis obtinebit. S. Th. 3. *par. q.* 82. *artic.* 6. *& communiter omnes.* At qui Missas viuens exquirit bonos Sacerdotes, potest seligere, minimè verò post mortem; ideo melius est, Missas in vita expetere, quam post mortem instituere. Palud. 4. *dist.* 45. *q.* *art.* 1. *concl.* 5. Luc. Pinel. *tract. de val.* *Missæ p.* 2. *c.* 7. *dub.* 3. Homob. *de adiuuan.* *instr. par.* 2. *cap.* 1.

Missa de Requiem non est dicenda pro viuis.

* 4 Hoc autem non ita intelligendum est, vt viuentes pro se Officium, & Missas defunctorum fieri procurent: hoc enim aduersatur institutioni Ecclesiæ, quæ distincta suffragia & officia pro viuis, & pro defunctis assignauit. Orationes autem, quæ in

Missa

Missa de Requiem dicuntur, non pro viuis, sed pro defunctis proferuntur, cùm in tempore præterito dicantur: ideo dicere aliquem viuentem esse iam mortuum, & aliquando pro eo iam mortuo campanas pro Officio mortuorum pulsare, fictitium est, & ridiculum. Quamobrem Missæ, quæ viuentibus congruunt, vt de Sanctis, pro peccatis, & huiusmodi aliæ, dum viuimus, procurandæ sunt. Nauar. *consil. to. 1. cons. 6. tit. de celeb. Miss. lib. 3.*

§ 5 Eodem modo determinandum est, Missam celebratam in Altari priuilegiato, quatenus Altare priuilegiatum est (non quatenus Missa est sacrificium, & opus satisfactorium) viuentibus non posse prodesse: nam Indulgentiæ eis tantum prosunt, ad quos directè referuntur; & non plus valent, quam sonant: neque pluribus prosunt, quam exprimunt: ideo strictè iuxta tenorem verborum sunt interpretãdæ, ac intelligẽdæ: & ad per- *Priuil. Altaris pro defunctis non prodest viuis.*

perſonas,vel ad actiones, aut ad caſu ſimiles non extendendæ. S. Thom.4 *diſt.20.art.5.quæſtiunc.3.ad 2.* Palud. ibi *quæſt.4.* Nauar.*comment.de Indulg. notab 9.num 9.* Suar.*tom.4.in 3 par.diſputat.5 ſect.3.concl.2.in principio, & diſputat.53 ſect.1.in fine.* At indulgentiæ Altaris priuilegiati ſunt priuilegium perſonal pro animabus in purgatorio exiſten tibus,vt ex verbis , & forma huiu modi conceſſionum apparet : ergo vi uentibus non poſſunt applicari , neq prodeſſe,niſi in ipſa conceſſione Indu gentiæ,& priuilegio ſpecialiter, & ex preſsè id concedatur : quod quide nullo modo concedi conſueuit. Sua *cit.diſp.50.ſect.3 concl.2.in princ.* Meg *conſ.19.num.6.& 7.*

Quæſtio. Petenti Miſ. poſt mortem an ſatisfiat Miſſis in vita.

* 6. Si autem aliquis ſtipendia de derit Sacerdoti , vt poſt eius morte tot celebret Miſſas,an poſſit ſatisfac re Sacerdos,ſi eas dicat in vita illius,af firmatiuè reſpondet Pater Alphonſ de Leone *de off.& pot. Conf.temp. Iubil par. 3. verſu , Quando vero.* Du

mod

modo non interuenerit expressum pactum de dicendis illis Missis post mortem alioquin peccatum infidelitatis comitteretur. Ratio est, quia Sacerdos maius beneficium procuranti Missas exhibet, si celebrat dum ille viuit: magis enim prosunt Missæ in vita, quam post mortem; cum ei non solum satisfactoriæ sint, sed etiam propitiatoriæ, meritoriæ, & impetratoriæ: vt dictum est *hic supra num.*1. Et est bona doctrina, & sententia.

* 7. At ego id non consulerem Resp. in facto. Ratio est, quia qui procurat sibi Missas post mortem, exquirere videtur illud præstantissimum suffragium pro eo tempore, quo ipse satisfacere, mereri, & impetrare non poterit, videlicet post vitam; dum enim viuit, orationibus, pœnitentia, Eucharistia, alijs Missis procuratis, & alijs operibus potest sibi consulere, & auxiliari; & ideo suffragia Missarum tempore maioris necessitatis, id est, post mortem, apertè desiderare, petere, & debita eleemosy-

mosyna ligare voluisse, præsumendum est. Quare si Sacerdos celebrat, dum ille viuit, eius intentioni, ac petitioni non respondet, & non obseruat, quod exquiritur.

* Neque obstat, quòd Missæ magis prosunt in vita, quàm post mortem, vt dictum est *supra num.*1. Id enim verum est ea potissimum ratione, v ille, pro quo dicuntur, se disponere possit ad fructum earum consequend pœnitentia, Eucharistia, & alijs operibus, vt dictum est *num.* 2. Qua disposi tione se præparare non potest, non aduertens pro se celebrari eas Missas, quas post mortem procurauit, & expectat.

Quæstio. Missæ in vita dictæ an possint omnem Purgatorij pęnā alicui delere. Resp.

* 8 Quando verò aliquis viuens sibi Missas celebrari fecit, vt sibi vale ant post mortem, vt scilicet à pœni Purgatorij liberetur: an prosint ita animæ illius viuentis, vt eum à dictis pœ nis nunc liberent, sicut valet defunctis? Affirmatiuè respondendum est: dummodo viuens ille sit in statu gratiæ; &

culpæ,

culpæ, pro quorum pœna celebratur, fuerint remissæ: nam satisfactio pœnæ fieri non potest, nisi remissa culpa per pœnitentiam, aut contritionem. Quãobrem si viuens, liber à culpa mortali, & veniali per pœnitentiam, & contritionem, mediante sacrificio Missæ, pro pœnis-culpis remissis debitis, omnino satisfecerit, secuta morte, statim sine pœnis Purgatorij æternam gloriã obtinebit. Hinc enim sacrificium Missæ satisfactorium dicitur, & est.

* 9 Nec est probabile, effectum huius satisfactionis suspendi posse vsque ad horam mortis illius; pro quo celebratur: nam sicut Sacramentum est in potestate ministri eo solum tempore & momento, quo conficitur; & tunc habet effectum, qui non potest à ministro suspendi: ita sacrificium est sub potestate ac intentione Sacerdotis solùm, dum offertur: & tunc debet applicari, & effectum habet; qui quidem effectus non debet, neque potest suspendi arbitrio Sacerdotis, quia

Satisfactionis effectus Missæ an possit suspendi vsq. ad tempus mortis.

non est institutum, vt operetur, nisi dum fit, siue dum existit suo modo a- lioquin in falsam opinionem de Missis anticipatis incideremus; de qua infra diligenter agendum est, *prænot*. 5. §. 5 *numer*. 2. Ideo si sacrificium non ap- plicatur vel actualiter, vel virtualiter dum offertur, eius fructus remanet in thesauro Ecclesiæ: Cord. *lib*. 5. *de Indul- gentijs, quæstion*. 42. Suar. *tom*. 3. *in* 3. *par. disput*. 79. *sect*. 9. *quæsito* 3. Megal. *cons*. 19. *num*. 1. *&* 2.

Valor Missæ dupliciter.

§. IV. Secundo adnotandum est *valorem sacrificij Missæ dupliciter* consi- derari posse, *intensiuè* videlicet, & ex- *tensiuè*.

Valor Missæ *intensiuè* consideratus iterum *dupliciter* accipi potest; *primò* se- *cundum* se qui dicitur, valor operis, & valor quo ad sufficientiam: *secundo* ra- *tione effectus*, quantum scilicet ad effi- caciam, siue de facto, & in exercitio. Ita ex D. Thom. 4. *distinct*. 45. *art*. 5. *quæ- stiunc*. 2. *ad* 2.

Valor intẽ siue quo ad sufficiẽtiã infinitus.

1 Primo modo, hæc est, *intensiuè secundum*

secundum se, fructus Missæ infinitus est; nam res oblata, & principalis offerens, Christus videlicet, est infinitæ dignitatis, & meriti: ideo sacrificium Missæ ex natura sua, si omnia adessent requisita, & Christus sic voluisset, posset habere infinitum effectum. Suar. *dicta disputat.* 79. *sect.* 11. *ibi. Dico primò.* Coninch. *de Sacr. tom.* 1. *ad q.* 83. *artic.* 1. *dub.* 10. Nugn. *de Sacram, tom.* 1. *par.* 3. *tract. de sacrif. dub.* 7. Et intelligi possunt Doctores primæ opinionis.

2 Secundo modo, id est, *intensiuè ratione effectus*, valor Missæ est finitus, quia de facto aliquem infinitum effectum obtinet: & ita non tantum valet singulis, quando pro multis offertur, ac quando pro vno tantùm. Et hic est sensus Theologorum secundæ prætactæ opinionis; & expressa doctrina & sententia est D. Thomæ 3. *par. q.* 79. *articul.* 5. *corp. in calce*, qui dicit: *Quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna* (en valor infinitus quoad sufficientiã) Valor intẽsiuus quo ad efficaciã finitus.

tamen fit ſatisfactorium illis, pro quibus of-fertur, vel etiam offerentibus, ſecundùm quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna(En valor Miſſæ limitatus, & finitus quo ad effectum.) *Nam cùm vniuſcuiusque deuotio finita ſit, finitum & determinatum recipit effectum.* Quod ſummoperè animaduertendum propter eos qui apertis buccis docent, & oſtentare volunt, D. Thomam in *hoc citato loco* docere, Miſſam ita eſſe infiniti valoris, vt vna Miſſa poſſit pluribus Miſſarum oneribus ſatisfieri.

Valor Miſſæ finitus, & quare.

* 3 Quare autem valor Miſſæ ex parte effectus non ſit etiam infinitus difficilis eſt inueſtigationis; ideo varijs medijs probari conſueuit.

Primò, ad valorem infinitum ex opere operato tria requiruntur: res oblata infinita; offerens immediatus, & proximus infinitæ dignitatis, & ipſa oblatio infinita: nam hoc pacto ſacrificium Cœnæ, & Crucis fuit infinitum; quia res oblata, ſcilicet Chriſtus, erat infinita; & offerens proximus & imme-

immediatus, videlicet Christus, erat infinitæ dignitatis, & ipsa oblatio ex dignitate personæ diuinæ valorem infinitum habuit in ratione meriti & satisfactionis.

* At in sacrificio Missæ res quidem oblata est infinita, scilicet Christus; sed Christus non est sacrificium, neque vlla eius actio: nam essentia sacrificij in oblatione, & consecratione consistit; non in re oblata; ex communi consensu omnium Theologorum, (licèt ipsi Theologi varij sint in rationibus, & in modo probandi; quod nunc ad rem nostrā nō attinet) ideo qui putaret, valorem Missæ esse infinitum ex infinita re oblata, non distingueret sacrificium à re sacrificata; sed ita rem confunderet, vt valorem potiùs tribueret rei sacrificatæ, quam sacrificio.

Res oblata.

* Offerens autem principalis est quidem Christus; sed cùm sit in termino, & extra statū merēdi & satisfaciendi, dum offert, nō meretur, neque satisfacit:

Offerens principalis.

facit: ergo hæc oblatio, vt est à Christo non habet de facto vim satisfaciendi infinitam.

Offerens proximus & immediatus.

* Offerens immediatus & proximus est Sacerdos, qui est finitæ virtutis intensiuè, tam ratione meriti & satisfactionis, quàm ratione impetrationis, vt patet.

Offerens mediatus & remotus.

*Ecclesia etiam, quæ est offerens per Sacerdotem, sicut populus per interpretem, & oratorem; siue vt grex per pastorem, & rectorem, finitæ sanctitatis est, quæ potest crescere, & minui secundùm sanctitatem fidelium.

Oblatio.

* Oblatio tandem, quia est ab offerente proximo & immediato, scilicet à Sacerdote, qui est finitæ virtutis, ipsa etiam finita est. Ergo sacrificium Missæ ex opere operato intensiuè ex parte effectus non est infinitum.

Instanti tollitur.

* Et quanquam dictum est, hoc sacrificium, vt est à Christo, non habere de facto virtutem satisfaciendi infinitam, cum amplius Christus non mereatur, neque satisfaciat; non propterea

pterea tollitur à ſacrificio Miſſæ virtus ſatisfaciendi: nam veriſſimum eſt, ſatisfactionem Christi per hoc ſacrificium applicari virtute actionum ipſius Christi, quas, dum eſſet viuus, exercuit. Gabr. *lect.* 26. *in ca. Miſſæ.* Peſant. *in* 3. *par. ad quæſt.* 83. *diſput.* 4. Pitigian. 4. *diſt.* 12. *q.* 2. *art.* 6. Filliuc. *quæſt. mor. tract.* 5. *c.* 3. *q.* 9. *num.* 85. *& ſeqq.* Molfeſ. *prom. iur. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 15. *num.* 24. Fagiundez *de præcep. eccleſ. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 7.

4. Deinde, ſacrificio Crucis non dedit Christus valorem, & effectum infinitum quoad efficaciam; ſed ſolùm quoad ſufficientiam, vt patet: ergo neque ſacrificio Altaris ineſt valor, & effectus infinitus de facto, & in exercitio. **Valor ſacrificii Crucis.**

5 Præterea, ſacrificium Euchariſtiæ inſtitutum eſt, vt ſit quoddam inſtrumentum, quo virtus cruenti ſacrificij nobis applicetur; vt elicitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. Io. Maldon. *diſp. de Sacram. tom.* 1. *de Euch. ad* **Miſſa inſtrumentum, quo virtus ſacri. Crucis applicatur.**

4.*argum.*Petr. Cabr.*in 3.par.* D. *Thom. ad quæst.*22.*art.*1.*in comment.num.*22. Se instrumentum, quo merita passioni Christi nobis applicantur, non habe tantum valorem, quantum habet i psa passio Christi; & solùm assum tur ad effectum finitum, ac determi natum; ergo sacrificium Missæ no habet infinitum effectum, Francis Sylu.*in 3.par.D.Thom.ad quæst.* 83. *art. ibi. Quæritur* 15.

Ab institutione Christi.

6 Denique Christus sic voluit. Si ut enim omne opus Christi secundu se sufficiens erat, vt perfectam nostra redemptionem operaretur; atque v nos per illud opus Christi sine pro prijs meritis æternam beatitudine possemus obtinere; & tamen ad i non obtulit Christus opera sua; vt lo quitur sanctus Pater Augustinus *libr* 13.*de ciuit. Dei cap.* 4. sed pactum cu Patre intercessit, vt nostra redemptio non consumaretur nisi per Christi mortem; & nos gloriam æternam no consequeremur; nisi per nostram ope ratio

rationem; ideò Christi merita non habuerunt completum valorem de facto, vt aliter nostram salutem operarétur, ita Missæ sacrificium, in quo offertur, & est principalis offerés ipse Christus, licèt secundùm se infiniti sit valoris, non habet infinitum effectum, quia ad huiusmodi effectum infinitum non est ordinatum: vt scilicet in Ecclesia hoc augustissimum sacrificium frequétaretur, sine quo religio consistere nõ potest Bellarm. *lib.2.de Missa cap.4. propos.4.* Conin. *de Sacram.tom.1.q.83.art.1.dub.10.* Mirand. *Manua.præl.to.1.q.4.artic.19.* Iacob. Bayus *instit.relig.christ.li.3.de Euch.ca.26.*

§. V. Quòd autem hoc verum sit, facilè, & validè declarari, & probari potest.

1 Nam Ecclesia, quæ est interpres institutionis Christi, cùm à Spiritu sancto regatur, multas Missas ad eandem rem obtinendam offerre consueuit: ergo valor Missæ non est infinitus; alioquin vna sola Missa sufficeret ad obti-

Valor Missæ non est infinitus. Ab institutione Ecclesiæ.

obtinenda omnia, quæ petuntur; fru-
ctus enim infinitus omnes Ecclesiæ in-
digentias exhauriret. Bellarm. *loc cit.*

2 Præterea Sacerdos quocunqu-
Ab Absurdis. Missæ sacrificio cuilibet homini poss-
quantumuis magnas gratias præueni-
entes impetrare: atque adeo maiores
quàm habuerint omnes Sancti. Imò se-
queretur, omnes homines esse pares i-
summa sanctitate: quia si Missæ fructu-
esset infinitus, compleret omnes i-
summo. Sequeretur etiam: vt vno sa-
crificio totum Purgatorium euacuare-
tur; nam cum omnis pœna simul vi-
uorum, & mortuorum sit finita,
Missa esset infiniti valoris, vna tantù-
pro omnibus perfecte satisfaceret; er-
go Missæ non essent multiplicanda.
Quæ sunt absurda.

Ab inconuenienti ex parte stipendii. 3 Amplius, Sacerdos, qui mille iu-
sta stipendia pro tot dicendis Missis
accepisset, satisfacere posset; si vnam
Missam diceret pro omnibus; quod
quidem, licèt ab aliquibus admittatur,
est inconueniens, & contra commu-
nem

nem omnium ſenſum; & quod populo perſuaderi non poteſt; & quod concedere videtur intolerabile; vt loquuntur Corduba *li. .qu.3 opin. 4. in fine, ibi. Tertiò deficit, &* Gulielm. Cantarel. *l. variar. qq. lib. 1. cap. 47. nu. 225.* Ideò ſanctiſſimè à S. Congregatione Conc. prohibitum & damnatum eſt: de quo exactiùs infra *ſect. 4. concl. 1. nu. 7. & ſect. 5.* cum alijs Decretis eiuſdem S. Cōgreg. *de celebratione Miſſarum.*

4 Adhæc, Miſſa vni ſoli immeritò à Sacerdote applicaretur: ſi enim infiniti valoris eſſet, & pro pluribus oblata tantùm valeret ſingulis, ac ſi pro vno celebraretur, nulla adeſſet ratio, vt Miſſa vni applicaretur. Imò ex charitate obligaremur ad quodlibet ſacrificiũ pro omnibus fidelibus æqualiter offerẽdum; nam cùm ſine noſtro, & alieno incommodo, præiudicio, & difficultate poſſemus omnibus prodeſſe plurimum, ad id ex charitate deuinceremur. Et alia ex parte conſuetudo Eccleſiæ, qua Sacerdotes vni ſpecialiter Miſſam

Ab inconuenienti ex parte Sacerdotis applicantis

Missam applicant, esset damnanda, quod est falsum. Suar. *disputa.* 79. *sect.* 1. *vers. Dico secundò.* Mirand. *manu. prælat. tomo* 1. *quæst.* 41. *art.* 20. Coninc. *loco sup. cit.* Reginald. *prax. fo. pœnit. tom.* 2. *lib.* 29. *cap* 9. *sect.* 2 *numer.* 157. *proposit.* 2. Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 1. *proposit.* 3.

A simili. 5 Deinde, personæ eidem non potest fieri duplex, aut multiplex applicatio totius valoris vnius, & eiusdem Missæ: sed requiritur duplex, aut multiplex sacrificium, si plures Missæ ab eodem exquirantur: cum ex Ecclesiæ vsu plures Missæ pro eodem defuncto, vel pro alio procurentur, & dicantur: ergo idem effectus vnius Missæ non potest diuersis personis totaliter applicari: ergo non est infinitus. *Reginald. ibidem.*

A simili. * 6 Tandem plura sacrificia pro eadem persona magis prosunt, quàm vnum: ergo etiam pro duabus personis magis proderunt duo sacrificia, quàm vnum; ergo vnum non proderit tantum

tum duobus, quàm vni tantùm. Filliuc. *quæst. mor. tract. 5. cap. 3. quæst. 10. numer. 98.*

§: VI. Neque hoc, & similia argumenta apertam supponunt falsitatem, vt vellet Ioan. Dominicus Montagnolus *disp. de valore Missæ, cap. 12. ad* 4. eo quod, vt ipse ait, sacrificium Missæ de se non est determinatum ad vnam personam: sed generaliter applicatur viuis ac defunctis, & etiam specialiter omnibus circunstantibus: sed determinatur secundùm singulorum deuotionem. Instantiæ auferuntur

1 Nam etsi fructus generalis Missæ, (de quo supra *prænot. 3. §. 1. & 2.* ex Scoto, & communi Doctorum sententia) pluribus applicetur; fructus tamen medius vni tantum personæ determinatur ex communissimo, & frequentissimo Ecclesiæ vsu instituendi, & offerendi Missas pro vno particulari; vt ibi dictum est §. 2. *n.* 3.

2 Alioquin melius, & vtilius esset fidelibus, Missæ sacrificio astare, & Inconueniens.

fide

& fide ac deuotione illi coniungi, q curare, vt ſæpius pro ipſis celebretu quod nimis aſſeueranter docuit Petru Sotus *lect.* 7. *de ſacrif. Altar.*

Hoc autem repugnat Eccleſiæ vſ & fidelium ſenſui, ac menti, atque uino cultui & honori, & commu Eccleſiæ bono magnopere officit: cu abalienet fideles ab eleemoſynaru largitionibus pro Miſſis, & à Miſſaru petitione & procuratione; ac freque tiam talis, ac tanti ſacrificij retardet, tollat, & exinde religionem tepefaci quæ ſine ſacrificio conſiſtere non p teſt: vt dictũ eſt hic *ſup.* §. 4. *nu.* 6. Qu quidẽ intolerabilius vocaretur à C duba *vbi ſup.* §. 5. *nu.* 3. & difficilius p pulo perſuaderi poſſet, vt loquitur C tarellus *ibidem.*

Miſ. fructus quõ determinetur ſecundum deuotionẽ ſingulorũ.

3 Et quòd fructus Miſſæ determ tur ſecundùm ſingulorum deuotion verùm eſt de fructu Miſſæ extenſi conſiderato, tam ratione offerentiu quàm ratione impetrationis: vt hic *i fra* §. 7. immediatè ſequenti dicendu

eſt

ſt. Interim tamen non prætermitten-dum, quòd licèt in magis deuoto & di-ſpoſito fiat maior gradus valoris, quã in minus diſpoſito, nihilominus in ma-gis diſpoſito eſt terminus, & gradus de-terminatus. Nam Sacramenta etiam in magis diſpoſito maiorem conferunt gratiam: gratia verò, quæ per Sacra-menta producitur, non eſt infiniti, ſed termini finiti. Ex eo igitur, quòd valor miſſæ determinaretur ſecundùm de-uotionem ſingulorum, haberi non po-teſt, valorem Miſſæ eſſe infinitum. Bel-larm. *libro* 2. *de Miſſa capit.* 4. *propoſit.* 4. Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 12. Bonac. *de Sacram. diſp.* 4. *q. vlt. punc.* 4. *prop.* 1. *nu.* 4.

4 Imò fundamentum aduerſario-rum, quo vim quintæ rationis *hic ſup.* §. 5. *num.* 5. euadere nituntur, non leues difficultates inuoluit. *Dicunt enim*: plu-res Miſſæ petuntur, vel à pluribus, vel ab eadem perſona. Si à pluribus, vel Miſſæ plures ſunt eiuſdem rationis, vt omnes de Spiritu ſancto, de Beata Vir-gine, de Angelis: & ſic vna valet pro plu- Miſſæ eiuſdem vel di-uerſæ ra-tionis.

plurbus: vel ſunt diuerſæ rationis,
vna de Spiritu ſancto, alia de Angel
alia pro pace : & ſic vna non pot
pro pluribus Miſſis valere. Si verò pl
res Miſſæ ab eadem perſona pet
tur, ſiue eiuſdem rationis, ſiue diuer
rum illæ ſint, nunquam licet vnam p
pluribus celebrare.

5 Si autem huic rationi *obijciat*
ergo Miſſa alquando eſt infiniti va
ris, quando videlicet vna poteſt ce
brari, & valere pro pluribus: aliquan
non eſt infiniti valoris, quando ſcili
vna pro pluribus ſatisfieri non pot
quod eſt inconueniens.

6 *Reſpondent* ipſi, rationem præ
ctæ diuerſitatis aſſignare cupien
quòd cùm multi Miſſæ fructuum
cundum eorum deuotionem ſine a
terius præiudicio participent, v
Miſſa poteſt pro pluribus dici, & v
lere, quando verò eadem perſona p
tit plures Miſſas, pluribus vicibus fr
ctum ſacrificij exquirit, qui in diuer
ſis Miſſis diſtinguitur : & commun

bonu

bonum Ecclesiæ vult, tam in viuentibus, quàm in defunctis: & multo magis pluribus Missis pluries intendit honorem Dei.

7 Sed tunc optimè licet inferre; ergo fructus Missæ infinitus est tantummodo extensiuè, scilicet ratione offerentium, & ratione impetrationis: vt dicetur infra *in* §. *sequenti*. Si enim valor Missæ esset etiam infinitus intensiuè ratione effectus, quare non posset vna Missa valere pro pluribus Missis ab vna persona expetitis, sicut valet pro pluribus, plures Missas eiusdem generis petentibus?

Et quare vna Missa non valeret pro pluribus Missis diuersæ rationis à pluribus personis requisitis, sicut valet, vt ipsi dicunt, pro pluribus eiusdem rationis? Et quomodo, quando plures Missæ ab vna, & eadem persona petuntur, fructus sacrificij in diuersis Missis augetur, & commune bonũ Ecclesiæ in viuis, & defunctis multiplicatur, & pluries habetur honor, & cul-

& cultus Dei:in pluribus verò Missis
iusdem rationis, à pluribus perso
procuratis, valor sacrificij Missæ, & c
mune beneficium Ecclesiæ, & hon
& cultus Dei non augetur, & multip
catur? Quę quidem omnia non vide
tur legitimè consistere. In qualibet
nim Missa, siue ab vno, siue à diue
Missæ petantur: & siue Missæ sint ei
dem rationis, siue diuersæ, fructus m
sæ distinguitur: & commune Eccle
bonum pro viuis, & defunctis à Mi
petentibus exquiritur: & pluries h
nor, & cultus Dei ab eisdem cupitur,
procuratur, vt omnibus est in aper
alioquin minoris conditionis & va
ris essent multæ Missæ ab vno petitæ
plures Missæ diuersæ rationis à mul
procuratæ, quàm Missæ eiusdem rati
nis, quas diuersæ personæ exquiru
cùm vna quidem harum valeat p
pluribus, illarum verò minimè. Et vi
versa plures Missæ ab vna & eadẽ pe
sona requisitæ, vtiliores reliquis essen
cùm in eis valor multiplex sit & disti

Multiplex beneficium cuiuslibet Missæ.

ctu

ctus & cōmune bonū Ecclesiæ multiplicetur, & pluries honor & cultus Dei exhibeatur. Quæ omnia implicationibus afficiuntur.

Quare inconcussa manet sententia communis & vera de missa infiniti valoris intensiuè secundùm se: finiti autē ratione effectus, & inde vnam Missam minus valere, quando dicitur pro multis, quàm vbi pro vno tantùm celebratur: vt infra ex professo comprobabitur, *sect. 4. concl. 2. & seqq.*

§. VII. Verùm ad aliud membrum distinctionis de valore Missæ, superiùs §. 4. in initio positum tandem sermo recurrat.

Valor igitur Missæ extensiuè, vel, vt aiunt, syncategorematicè, siue indeterminatè acceptus, infinitus est: hoc est, non tantum prodest, quin magis prodesse possit: siue non tantum fructū exhibet, quin possit maiorem: ita vt non pro tot, quin etiam pro pluribus, & in maiori gradu applicari, & prodesse possit. Cordub. *lib. 1. quæst. 3. opin. 5. conc.* — Valor extensiuus Missæ.

*conc.*3.Petr.Nauar.*d. restit.lib.* 2. *cap.* *num.* 281. Suar. *disput.*79.*sect.* 12. *conc.* Nugn.*de Sacram. tom.*1.*q.*83.*art.*1.*p.*3. *sacrif.dub.*7.*conc.*2. Coninc. *de Sacram. tom.* 1. *ad q.* 83.*art.*1.*dub.*10. Et in ho vtraq; prædictarum opinionum co uenit.

Valor extensius duplex.

§.VIII Hic autem valor Missæ e tensiuè infinitus dupliciter conting ratione offerentium, & ratione imp trationis,

tripliciter. Infinitus ratione offerẽtium.

Primo modo, id est, ratione offere tium, valor Missæ est *infinitus triplicit*

1 *Ratione rei oblatæ:* nam agnus im maculatus, qui offertur, est infinitu ideo quamuis ad eum offerendu multi concurrant, tantum quilibet o fert, ac si solus offerret.

2 *Ratione oblationis:* sicut enim mu tiplicantur personæ offerentes, videl cet: Sacerdos, ei ministrantes, & astan tes, & stipendio Missam procurante ita multiplicantur quasi partiales obla tiones, vel personales, quæ non minu tur, sed crescunt ex offerentium mult

tudin

tudine: nam ſicut oblatio extenſiuè creſcit, ita etiam fructus.

3 *Ratione ipſorum offerentium* non ſolum Chriſti, qui eſt principalis offerens, & infinitus; ſed etiam Sacerdotis, & perſonarum Sacerdoti in Miſſa inſeruientium & aſtantium, & Miſſas procurantium, qui quidem fructus ex deuotione offerentium creſcit, & ex multitudine augetur.

Primo, quia multi ſic offerentes ſæpe ſe ſe mutuò ad maiorem deuotionem excitant.

Secundò, quia multorum preces ſimul per modum vnius Deo oblatæ, ſunt magis efficaces, quam ſi eſſent omnes ſeparatim oblatæ, quoniam hic etiam verum eſt illud vulgi, Virtus vnita fortior. Suar. *loco cit. conc* 1. Coninc. *vbi ſup. nu.* 190. **Preces multorum ſimul efficaciores.**

§. IX. Secundo modo, id eſt, *per modum impetrationis*, valor Miſſæ extenſiuè eſt etiam infinitus; hoc eſt, ſecundùm ſe ſufficiens eſt ad quodlibet beneficium impetrādum; ſiue ad quamli- **Infinitus valor ratione impetrationis.**

bet beneficiorum multitudinem obt
nendam , etiam si in perfectione, v
numero in infinitum augeatur. Na
impetratio solam & meram Dei lib
ralitatem respicit , quæ, etsi multi
rent,non minuitur, cùm limitata n
sit,Deus enim eodem modo semp
est potens , atque paratus ad nostra
petitionem exaudiendam, siue illa s
la,siue cum alia coniuncta sit.Suar. *l*
cit.conc.3 ex D.Thom. 4.dis. 45.*qu.2.a*
4.*quæstiunc* 2.Petr.Nauar.*de restit.lib.*
*c.2.nu.*259.

Missæ iterandæ & multiplicandæ.

§. X. Quoniam autem hic eff
ctus impetrationis à Dei liberalita
dependet, non est semper infallibil
cum non fundetur in Christi promi
sione, nec habeat semper coniuncta
Christi voluntatem: ideo ad effectu
impetrationis multiplicatio sacrificio
rum prodesse poterit, vt quod seme
non conceditur,postea obtineatur.

* Et quia sacrificium non appli
catur ad impetrandum, nisi quatenu
orationi cõiungitur: & oratio, cæteri

paribus,

paribus, est efficacior ad impetrandum pro vno, quàm pro pluribus: ideo sacrificium efficacius erit ad impetrandum illud, quod petitur pro vno, quam quod petitur pro pluribus. Faciliùs enim à Principe obtinetur gratia, quæ petitur pro vno, quam si plures gratiæ pro pluribus petantur. Quare sacrificium Missæ, etiam quo ad impetrationem, vtilius erit pro vno, & pro vna re obtinenda, quàm pro pluribus. Suarez *ead. concl. 3.* Bonac. *de sacram. disp. 4. q. vlt. punc. 4. proposit. 3.*

§. XI. Sacrificium enim Missæ, quantùm in se est, certum, & firmum effectum producit: sed interdum ponitur ab ea, pro offertur, impedimētum. Certus Missæ in effectus.

1 Nam vt est propitiatorium, peccata non delet per se, & immediatè; sed mediatè, & per aliud, scilicet per pœnitentiæ donum, quod impetrat; vt dictum est supra, *in hac prænot.* §. 2. *num.* 2. At si ille, pro quo offertur, donum illud, siue auxilium gratiæ ad pœnitentiam obeundam non complectitur,

ſacrificij beneficium culpa ſua non o[btinet;] licèt datum ſit auxilium reſipi[ſcendi] per ſacrificium propitiatoriu[m.]

Sati fa-ctionem certa effi cit niſi pecc. im-pediatur.

2 Vt eſt ſatisfactorium, certum i[n]dem effectum, videlicet remiſſion[em] pœnæ, vel ex toto, vel ex parte parit, [ni]ſi peccato mortali illius, pro quo off[er]tur, impediatur. Qui .n. peccatis mo[r]talibus ſunt irretiti, pœnarum rem[iſ]ſionem non conſequuntur. Quam[o]brem ijs, qui ſunt in Purgatorio, gra[tia] Dei, & charitate præditis (cum no[n]dum terminum, ac triumphum glo[riæ] ſint adepti, & ideo ad Eccleſiam mi[li]tantem pertineant) ſemper aliqu[od] certum pœnarum leuamen, & ſubſi[di]um Miſſam exhibere, ſatis probabi[li]ter & piè docuerunt D. Thomas *diſtin.45.q.2.artic.3.ad 3.* Alber. Mag. *art.2.ad 6.* Durand *diſt.12.quæſt.4.* Pe[t.] Soto *lect.7.de Euchar.* Damaſ. Linda[n.] *panopl.lib.4.cap.51.* Stanisl. Hoſ. *in conf. cap.41. quos ſequitur.* Suarez *dicta diſp[u]tation.79.ſect.10.* Couarr. *in c. Alma m[a]ter par.1.§.5.num.11.* Azor. *inſtit. m[or.]*

Defunctis certū ſubſidium obtinet.

tom.1.lib.10.c.22.q.10.

3 Et quando anima illa, pro qua dicuntur Missæ, non indiget sacrificio quia est in cœlo, vel in inferno, credibile est, quòd per diuinam misericordiam Missæ aliis dispensentur, pro quibus non offeruntur, si eis indigeant: vt ait D. Thomas 4.*dist.*45.*q.*2.*art.*4.*quæstiunc.*2.*ad* 2.

Missa pro anima quę non indiget, aliis prodest.

4 Vt est meritorium, impetrat gratiæ augmentum, non per se, & immediatè; sed per Dei auxilium, quo maiorem gratiam aliquis promeretur: ideo qui auxilium diuinum peccato respuit, ampliorem gratiam non obtinet.

5 Vt est etiam impetratorium, omnia bona impertiri potest: vt hic supra dictum *est.* §.9. sed interdum aliqua bona nobis non expediunt, vt sanitas, diuitiæ, honores: idcirco ille pro quo offertur, eiusmodi bonorum non fit compos. Azor. *vbi sup.c.*21.*q.*4.

Impetrat omnia bona si expediunt.

Quare etsi Missæ sacrificium extensiuè sit fructus infiniti: piè ac salubriter

pluries à fidelibus exigitur, & frequen tatur.

PRÆNOTIO V.

De iusto Missæ sti- pendio.

IVstum stipendium pro celebrand Missa illud non est, quod Sacerdo est necessarium ad congruam, & inte gram sustentationem.

pendio.

§.1. Nam alioquin sequeretur, quò Sacerdoti valde honorabili, atque i dignitate constituto maius stipēdiu ad sui conuenientem sustentatione deberetur, quàm pauperi: quod est in conueniens. Cord. *lib.*1.*q.*4.*dub.* 2. *opi* 2. Rod. *qq. Reg. tomo.*1.*q.*43. *art.*17. *cōc.*

1 Hoc idem ex consuetudine Eccle siæ declaratur: quando enim stipendi lege firmantur, non consueuerunt ess tanta, vt sola ad sustentationem Sace dotis, nec vnius etiam diei sufficiant: vt experientia comprobatur. Suar. *disp.* 8 *sect.*2 *conc.*3 Filliuc. *q. mor. tom.*1. *tr.* 5. *cap* 6. *q.*6. *nu.*180.

2 Deinde celebratio Missæ non

est

est officium totius diei, neque maioris partis illius ; imò neque integri horæ spatij ; ergo stipendium pro Missa non debet respondere completæ sustentationi Sacerdotis integri diei.

3 Ampliùs, in Concilio Tridentino *sess.21.decreto de reformat.capit. 2.* statuitur, vt nullus ad sacros Ordines promoueatur ; qui non habet Ecclesiasticum beneficium, vel pingue patrimonium, quo viuere possit, ne ad vitam sustentandam mendicare cogatur : ergo intentio Ecclesiæ est, quòd ex sacrificio Missæ Sacerdos non habeat stipendium congruæ & perfectæ suæ sustentationis; nam aliàs quilibet posset sine beneficio & patrimonio ad Sacerdotium initiari, cùm solo sacrificij stipendio sustentari posset. Si ergo aliquis contra hanc dispositionem Ecclesiæ ordinatus est , hoc sibi imputandum. Nugn. *de Sacrament. tom. 1. par. 3. tract. de sacrif. dubio. 9. concl. 1.* Franciſc. Sylu. *in 3 par. D. Thom. ad q. 83.*

articul.1.q.17. Henr. Villalob. *sum. Theo mor. & canon. part. 1. tract. 8. difficult. nu. 1.*

* 4 Denique si stipendium respondere deberet integræ sustentationi Sacerdotis, posset ipse Sacerdos vi iuris hæc stipendia sibi procurare, & exigere; quod licitum esse demonstratum est superiùs *sect. 3. prænot.* 1. §. Hoc autem nunquam in praxi, quod sciam, obseruatum est: imò si aliquis id peteret, risu potiùs ex rei nouitate quàm fauorabili euentu exciperetur: nam vel lege, vel consuetudine iam stipendij quantitas determinata est, quæ completæ Sacerdotis sustentationi non respondet.

Stipēdium Iustum Missæ.

§ II. Iustum ergo stipendium est, quod lege, Synodo, aut ab Episcopo statutum est, vel consuetudine receptum; vt valor vnius argentei, id est, vnius Realis, aut Iulij, vel dimidiæ partis currentium librarum: quia communiter nunc inter fideles, & Sacerdotes conuenit de celebratione Missæ pro huius-

huiusmodi stipendio vnius videlicet Realis, aut Iulij, aut dimidiæ libræ.

* 1 Lege quidem; quia licèt stipendium sit verè pretium, seruat tamen proportionem pretij, quatenus in eo etiam seruanda est ratio iustitiæ. Ideo sicut illud est pretium iustum, quod est lege taxatum; ita stipendium pro Missa iustum est, quod lege præscribitur. Ex lege.

* 2 Consuetudine verò; quia seclusa lege, quemadmodum consuetudo indicat iustum pretium; ita & iustum Missæ stipendium, quod cum pretio habet proportionem. Ex consuetudine.

* 3 Non enim relinquendum est voluntati absolutę fidelium, aut Sacerdotum, vt ipsi arbitrio suo taxent eleemosynę quantitatē pro Missa; quia hoc esset occasio auaritiæ: ideo auctoritate publica stabiliendum, lege videlicet; & vbi non est lex, consuetudine, quæ habet vim legis. Vasq. *tom. 3. in 3. part. disp. 234 capit. 4.* Roderic. *sum. par. 1. cap. 251. conclus. 4.* Angles *flor. Theo-* Stipendii quantitas non relinquenda arbitrio particularium

log.in 4. *part.* 1. *quæ de valore Missæ art.*1. *conc.*2.*append.*2.Nugn.*de Sacram. tom.*1 *part.*3.*de sacrif. dub.* 9. *concl.* 1. Fernand. *mixt.disputat.ad sacrif.Miß.part.* 4. *dub.*vi. *ad* 6. *in fin.* Petr. Ledesm. *sum.par.* 1. *de Euchar.ca.*8.*concl.*7.*&* 8.Molfes.*promp. iur. tom.*1 *tract.*3.*c.*16.*num* 3. Io.Cruz *director.conscien.de sacrif. Miss.dub.*7.*concl.* 1.Barbosa *de off. & pot. Epi.p.* 2.*alleg.* 24.*num.*3.Megal.*sum peregr.*2.2.*lib.*2. 1.*q.*4.*num.*5.Bonac.*de Sacram. disputat.* 4.*q.vlt.punc.*8.*nu.*8.Filliuc.*q.mor. tom.* 1.*tract,*5.*c.*6 *q.*5.*nu.*178.*&* 79.

4 Et hoc intelligendum est, siue sacerdos indigeat ratione suæ particularis conditionis lautiore sustentatione, siue non: illi enim, qui stipendio curant Missam celebrari, hoc non tenentur æstimare, cùm lege, aut consuetudine ducantur: sed ipse Sacerdos aliunde sibi prouidere debet. Guttier. *qq. Canon lib.*1.*cap.*29 *num.* 6. Coninc.*de Sacram.tom.*1.*q.*83.*art.*1.*dub.* 10. *num.*192.

§. III.

§. III. Si autem homines diuites maius stipendium, quàm lex, aut consuetudo præscribit, gratis, & spontaneè darent Sacerdoti, posset Sacerdos legitimè illud accipere: & vice versa si Sacerdos à pauperibus minora stipendia sumere voluerit, nullum erit inconueniens: leges enim Prælatorum pietatem non præcludunt; & cõsuetudines nõ cõsistunt in indiuisibili. Et aliud est ex iustitia exigere, aliud gratis donare, vel remittere: ideo lex iustitiæ non impedit opera liberalitatis, & christianæ misericordiæ. Suar. *disputation.* 86. *sect.* 2. *conc.* 1. Azor. *part.* 3. *lib.* 12. *cap.* 6. *quæstion.* 7. Mich. Zanar. *direct. Theolog. part.* 1. *de Missa cap.* 13. *ibi. Decimò dico.* Bonac. *vbi sup. punc.* 8. *num.* 9. Molfes. *loco cit. num* 15. Homob. *exam. eccles. tom.* 1. *tract.* 4. *quæst.* 118. Alphon. de Leo. *de off. & pot. Confessar. temp.* Iubil. *part.* 3. *nu.* 6. Stipẽdium pingue licitum.

§. IV. At Sacerdos, qui pinguiora stipendia, quàm lex, aut consuetudo præscribit, pro Missis dicendis accepit,

An pinguius ſtipendium accipere, & alii minus dare poſsit pro Miſſa.

pit, an alijs Sacerdotibus ſtipendi minoris valoris pro illis celebrandi Miſſis licitè poſſit tribuere, & partem reliquam ſibi retinere, controuerſum erat. Negatiuè reſpond Maio 4.*diſtinct.* 45.*q.*2.*dub.*2. Cordub *quæſt.*4.*dub.*5.*opin.*2. Aragon. *de inſtit.* *iur.quæſt.*85.*art.*3.*dub.vlt.* Affirmatiu de Sacerdote habente aliquod officium, vt de Parocho, reſoluit Sot *de iuſt.& iur.libro nono,quæſt.* 3.*articul.* Nauarr.*Man capit.*25.*num.*91. Verùm de Parocho quidem non eſt maior ratio, quàm de quolibet alio Sacerdote, imò minor, cùm aliàs habeat ſufficiens ſtipendium pro ſui ſuſtentatione in decimis, primitijs, oblationibus, aut reditibus.

1 Sed pars affirmatiua de omnibus Sacerdotibus, de rigore tanquam probabilis ab aliquibus olim tenebatur; *duabus concurrentibus omnino conditionibus.*

Prima erat, vt pinguia ſtipendia huiuſmodi ipſi darentur Sacerdoti pro

Miſſis

Missis ab eo celebrandis; vt sic ipse Sacerdos Dominium dictorum stipendiorum acquisierit ; & non esset simplex dispensator, aut Missarum dicendarum curator.

Secunda erat, vt eam partem pinguioris stipendij alteri Sacerdoti praeberet, quae iustum esset stipendium, lege, aut consuetudine praefinitum. Quibus praesuppositis haec sententia probabatur.

2 Sacerdos Dominium accepti pinguioris stipendij acquisiuit cum obligatione dicendi missas pro alio: ergo si vt Dominus, dato iusto stipendio, per alium Sacerdotem obligationem adimplet, nullam iniustitiam cōmittit.

3 Deinde, Sacerdos, qui ex dato sibi pingui stipendio mercedem iusti stipendij pro sacrificio promisso offerendo dat alteri Sacerdoti, nulli infert iniuriam, non quidem alteri Sacerdoti celebraturo, quia datur ei iustum stipendium: neque illi, pro quo celebranda

branda est Missa, quia pro eo sacrificium offertur eiusdem valoris ex iusto stipendio, ac si ex pinguiori celebraretur. Suarez. *dicta disp. 86. sec. 3.*

Negatiuè resoluitur.

4 Quoniam autem sacrificium Missæ non est materia humanæ, siue temporalis negotiationis, & lucri: neque de hac re habebatur intentio Christi, aut Ecclesiæ; imò redolet turpe lucrum, & scandalum sapit; ideo negotium hoc non consulendum, sed corrigendum fuit. Suarez *loco cit.* Arag. *vbi sup.* Posseu. *de off. Cura. cap. 2. num. 9.* Guttier *qq. canon. lib. 1. ca. 29. num. 32.* Molfes. *vbi sup. nu. 24.*

5 Alioquin Sacerdos aliquis tanta potuisset huiusmodi stipendia exquirere, & curare Missas dici per alios, vt ipse fieret aliquo modo diues, atque interim à celebratione abstinere, quod speciem turpis lucri redolet satis expressam.

* 6 Et fortasse qui petit Missam à Sacerdote pinguiori stipendio, vult eã ab ipso, & non ab alio celebrari: & si

sciret,

sciret, Missam petitam ab alio dicendam, vel fortè non dedisset stipendia, vel non pinguiora. Franc. Sylu. *in 3. par. q. 83. art. 1. q. 17.* Io. Bern. Dias *monit. curat. lib. 2 cap. 27.*

7 Sed habemus modò Decretum S. Congregationis Concilij, Sum. Pōt. Vrbani VIII. auctoritate editum his verbis. *Ac similiter, omne damnabile lucrū ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.* Decretum S. Congregat Concilii.

8 Quod quidem Decretum intelligendum est etiam, quando Sacerdotibus offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missæ: debent enim Sacerdotes dare eandem integram eleemosynam ijs, quibus Missas celebrandas committunt: neque vllam illius partem sibi retinere possunt, etsi illa pars consuetam eleemosynam excedat: vt habetur in Declarationibus eiusdem Sacræ Congregationis super

De-

Decretis de celebratione Missarum ad 9 dubium.

9 Et quod prohibetur Sacerdotibus, interdicitur etiam Ecclesijs, & Locis pijs, siue illorum administratoribus; ne scilicet ex eleemosynis Missarum celebrandarum vllam vtcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione; videlicet, in manutentione Ecclesiæ, Altarium, inseruientium; paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium: nisi quando Ecclesiæ, & loca pia alios non habent redditus, quos in vsum earundem expensarum erogare licitè possint: & tunc etiam portio, quam retinebunt, nullatenus debet excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ. Et nihilominus eo etiam casu curandum est, vt ex pecunijs, quæ supersunt, expensis vt supra deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ita

Ita ſtatuitur in prædictis *Declarationibus S. Congregationis ad 7. dubium.*

10 Prædictum autem Decretum non habet locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum: id eſt, Rector beneficij, qui poteſt per alium celebrare, non tenetur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redituum beneficij; ſed ſatis eſt, vt tribuat ſacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ: niſi in fundatione ipſius beneficij aliud cautum fuerit. Sic determinatur *in dictis Declarationibus ad 8. dubium.*

§. V. Aliqui etiam Doctores proximis præteritis temporibus docuerant, Sacerdotem, qui liber eſt à Miſſæ celebratione pro aliquo, Miſſas anticipatas in futuram occaſionem poſſe illis applicare, quos Deus ſcit prius ſtipendia daturos.

1 Nam applicatio valoris Miſſæ, licet poſt miſſã reſpectu noſtri ſit præterita, reſpectu Dei ſemper eſt præſẽs ſuæ æterni-

æternitati. Sicut passio Christi quoad nos præterita est, sed semper præsentissima est diuinæ acceptationi. Aragon *suprad. quæst. 85. art. 3. dub. de illis, qui dicunt Missas anticipatas.* Roderic. *sum. 1. c. 251. conc. 9.*

Missæ anticipatæ dici non possunt.

* 2 Sed contrarium dicendum. Sacerdos non enim potest suspendere, & reseruare effectum Sacramentorum in aliquod futurum tempus; quamuis tempus nobis futurum, semper sit præsens æternitati Dei; vt commune est omnibus Theologis: ergo neque potest suspendere, & reseruare effectum sacrificij pro futuris intentionibus & petitionibus.

Nam sicut fructus Sacramentorum applicatur virtute passionis Christi; ita pariter mediante sacrificio Missæ applicatur Christi passio; ideo sicut non potest suspendi effectus Sacramentorum, ita nec sacrificij.

Sacramenta sub conditione valēt de præsenti non de futuro.

* Sacramenta enim valent quidem sub conditione de præsenti, vt, Si non es baptizatus, ego te baptizo: non autē sub

ſub conditione de futuro, vt, Ego te abſoluo, ſi tu reſtitueris: Ego duco te vxorem, ſi patri meo placuerit; quamuis Deus ab æterno veritates harum propoſitionum de futuro cognoſcat. Ita non valet reſeruatio effectus ſacrificij pro futuris intentionibus, licèt ſint præſentes diuinæ æternitati.

* 3 Præterea, ſi valeret eiuſmodi anticipatio, poſſemus etiam dicere & ſuſtinere, quòd Sacerdos præſentibus Miſſarum ſtipendiis poſſit futuras miſſas aſſignare, cum ſint præſentes æternitati Dei. Hoc tamen ita falſum eſt, vt qui per longum tempus promiſſionem Miſſarum ex receptis ſtipendijs non implet, peccet mortaliter, vt omnes docent: de quo infra conc. 3. §. 1. nu. 2. Cordub. *lib.* 1. *q.* 4. *dub.* 6. Luc. Pinell. *de Miſſa part.* 1. *cap.* 18. *dub.* 5. Petr. Ledeſm. *ſum. part.* 1. *de Euchar. cap.* 18. *conc.* 15. Ioa. Cruz *director. conſcien. de ſacrif. Miſſ. dub.* 8. Henric. Villald. *ſum. Theologor. mor. & canon. part.* 1. *tract.* 8. *de Miſſæ difficultat.* 12. *num.* 2.

Quamob-

4 Quamobrem, cum hæc anticipatio lucri auiditatem sapiat & negotiationem, & vsui Ecclesiæ non consonet, & intentioni Missam stipendio petentis repugnet, qui Missam præsenti suæ necessitati, vel deuotioni exquirit; & reuerentiæ tanti sacrificij, & Sacerdotum perfectioni, & fidelium desiderio & expectationi aduersetur: ideo iustissimè emanauit Decisio à S. Congregatione Concilij, Romæ die 15. Nouembris 1605. Nuntio Apostolico in Hispanijs directa, quæ nouam hanc opinionem de Missis anticipatis condemnat, eamque periculosam, scandalosam, & contra antiquum Ecclesiæ morem esse declarat. Extat autem hoc Decretum apud Barbosam *de off. & pot. Epist. par. 2. allegat. 24. numero* 12. his verbis.

Decretum S. Congregat. Conc.

* *Superioribus diebus significatum fuit* S. D. N. *Paucis ab hinc annis in Hispania nouam consuetudinem, recentiorum aliquot Theologorum opinione nixam, sensim receptam in dies magis inualuisse; vt Sacerdotes*

Missam

Missam celebrantes, eius valorem generalem applicent his, qui postea Missæ celebrationem postulaturi, ac pro ea eleemosynam præbituri sunt, tametsi antequam Mißæ sacrificium perageretur, neque à Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de caussa præstitissent eleemosynam. Quam rem cùm Sanctitas sua ad sacram Congregationem Cardinalium Concilij Interpretum pro materiæ grauitate examinandam reiecisset, in ipsa Congregatione primùm de ea actum fuit diligentißimè, ac deinde relatum ad Sanctitatem suam: quæ ex eiusdem Congregationis sententia, huiusmodi consuetudinem, tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem explosit, ac improbauit, atque Amplitudini tuæ literas dari, quod facimus, mandauit, vt omnibus illius Regni Archiepiscopis atque Episcopis, in quorum Diœcesibus huiusmodi applicatio in vsum inducta fuerit, per litteras, aut aliàs scripto iniungat, vt talẽ vsum aboleant, ac prohibeant, excommunicationis, atq; alijs, quas oppor-

tunas,

tunas, & necessaria existimauerint, pœn... Idemq; præcipiat Generalibus, & Capitu... Ordinum, quos in istis Regnis nunc noue... commorari; vt scilicet & ipsi Regulari... sibi subditis, talibus applicationibus, eisdē p... nis propositis, interdicant. Quæ omnia pro... pietate, & Sanctißimi Domini Nostri iu... obsequendi studio Amplitudinem tuam se... lò effecturum sperantes, omnipotentem De... rogamus, vt eam quotidie cælestis suæ gra... donis velit augere.

Concilia- temporis prædicti Decreti.

* 5 Hanc autem determinatio... & sententiam emanasse à Paulo V. r... fert Franciscus Sosa *in libello de non fu... dandis nouis Conuentibus in Regno Castell... par. 2. ibi. Lo Sesto.* Barbosa verò, & Vi... labos, *locis supra citatis*, à Clemēte VIII. Ea tamen Decisio die 15. Nouembri... dicti anni 1605. data est: quo tempo... erat Summus Pontifex Paulus V. na... Clemens VIII. die 3. Martij eiusde... anni decesserat. Caussa autem diuersi... tatis in citando Summo Pontifice à di... ctis Auctoribus potest esse, quòd opi... nio de Missis anticipatis delata fuit ex

Hispa-

Hiſpania Clementi VIII. qui eam S. Congregationi Concilij commiſit: in eaque decidenda ſumma adhibita fuit diligentia, vt in ea refertur: ideo Decretum poſtea ſub Paulo V. promulgatum fuit.

* §. VI. Verum eſt tamen, quod in alio ſenſu licet aliquando Miſſas anticipare; quoniam ſi Sacerdos tenetur, exempli gratia, bis in hebdomada celebrare, poteſt celebrationem anticipare, & in vna & eadem hebdomada quater celebrare; & ita pro Miſſis in ſequenti hebdomada dicendis ſatisfacere. Miſſæ anticipatè aliquando dici poſſunt.

* 1 Non enim malè ſoluit, qui tempus anticipat ſolutionis; imò anticipatio huiuſmodi eſt virtus boni debitoris, qui maiorem vtilitatem exhibet creditori, qui ſtipendio Miſſas obligauit.

* 2 Deinde à ſimili. Officium dici ſolitum in Eccleſijs de nocte poteſt aliqua iuſta cauſſa, & occupatione dici de ſero, & præueniri; vt ſi Magi- Officium diuinum præueniri poteſt ex iuſta cauſſa.

ster deberet in nocte suas lectiones vi dere: nam melius est, vtrunque redde re, quàm quod per vnum aliud impe diatur. S. Tho. *quodlib.* 5. *artic.* 28. Erg ex aliqua caussa rationabili, Mi sarum celebratio præueniri poten Ricc. *prax. edit.* 2. *decision.* 338. *nu mer.* 4.

Missæ defunctorum præueniri possunt.

* 3 Hæc autem anticipatio ma ximè proficit defunctis, quorum an mæ eò citius à Purgatorij pœnis libe rantur, quò citius pro eis satisfit. Ide defunctorum Missæ præueniri po sunt, non autem postponi: vt optim adnotauit Gulielm. Dur. *Rationa diuin. lib.* 7. *cap.* 34. *num.* 16. vbi ait: quo si Anniuersarium alicuius Defunc contigerit in die Dominico vel in al qua festiuitate, non debet ad se quentem diem transferri, prout f de Festis Sanctorum: sed fiat in di præcedenti, vt citius pœnis defuncto rum in Purgatorio existentium occur ratur. Defuncti enim nostro indigen auxilio, & beneficio: sed non Sancti.

No

* 4 Non valeret autem hæc anticipatio, si in institutione obligationis Missarum præciperetur, vel aliquo modo haberi posset, quòd nulla esset hebdomada, in qua non diceretur Missa. Nam intentioni obligantis, & commoditati, expectationi, ac deuotioni populi, qui eas Missas in qualibet hebdomada audire consueuit, non satisfieret.

Anticipatio licita quando nõ valet.

* 5 In hoc tamen casu, scilicet commoditatis populi, posset Sacerdos Missas in aliqua hebdomada anticipare, & in sequenti postea, in eadem Ecclesia, vel altari celebrare pro alijs. Ita enim & institutori, & populo satisfaceret.

* Hæc autem omnia intelligi debent, vt superiùs prætactum est, aliqua iusta caussa intercedente: nam verisimile non esset, quòd Sacerdos ad aliquas Missas in qualibet hebdomada celebrandas obligatus, posset omnes Missas simul vno, vel duobus mensibus persoluere, & postea per totum

annum vacare; hoc enim esset apert contra mentem, ac intentionem insti tuentis. Petrus Ledesm. *sum. par.*1. *Euchar. cap.* 18. *concl.* 17. Petr. Nau. *restitut. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 369. Reginal *prax. fo. pœnit. tom.* 2. *lib.* 23. *nu.* 237. An Fernand *exam. Theolog. mor. par.* 3. 5. *num.* 5. Io. Cruz. *direct. conscient.* de *crif. Miss. dub.* 8. Roderic. *sum. tom.* 1. 252. *conc.* 8. Ricc. prax. *edit.* 2. *decis.* 3 *numer.* 3. Alph. Vega, *sum. verbo Missa su* 39. Barbosa *de off. & pot. Epi. part.* 2. *legat.* 24. *num.* 14. Bonac. *de Sacram.* d *putation.* 4. *quæstion. vltim. punc.* 7. §. 5. 4. Villalob. *sum. Theolog. mor. & can part.* 1. *tract.* 8. *de Missa difficult. num.* 3.

An liceat anticipare Missas, quas scimus fore petendas.

* §. VIII. Sacerdos autem no potest anticipatè aliquas Missas dice pro vno, quem scit eas Missas iusto pendio ab eo petiturum; ita vt cum v nerit stipendium, iam Missæ vel om nes, vel in parte dictæ sint; vt aliq vellent. Tum quia Sacerdos non hab ius iustitiæ ad huiusmodi stipendi

na

nam qui ea daturus eſt, liber eſt, vt petat, vel non petat Miſſas, Ledeſm. *vbi ſup.* Tum quia militant rationes prohibitionis in Decreto S. Congregationis Concilij *relato in ſuperiori* §. 5. *numer.* 4.

SECTIO IV.

RESOLVTIO DISPVTATIOnis.

HIs prænotatis, iam propoſita difficultas decidenda eſt: ideo ab vniuerſaliorib. inchoantes: Quæſtionem per Concluſiones diſſoluamus.

CONCLVSIO I.

NVllus Sacerdos ratione vnius Miſſæ plura ſtipendia, ſiue ab vno, ſiue à multis data, poteſt accipere. Multa ſtipendia pro vna Miſſa recipi non poſſunt.

§. 1. Doctrina hæc eſt ſingularis, & vſu Eccleſiæ meritò recepta. ita Nauarrus, *man. cap.* 25. *num.* 92. & expreſsè de Sacerdotibus Regularibus, *tom.* 1. *conſil. lib.* 3. *de celebr. Miſſ. conſ.* 8.

Et ita communis eſt, vt nullus auctor contrarium ſentiat. Ita Suarez *tom.*

tom.3.in 3.part.disp.86.sect.2.conc.4.

Et contraria sententia est omnin[o] improbabilis; eamque nullus pro se aut pro alijs tuta conscientia vllo mo[do] amplecti potest. Ita Vasque[z] *tom.3.in 3. part. disputation.* 234. *ca[p.]* 4.

* Et iniqua est, & impia, & eo[rum], qui quæstum putant esse pieta[tem]. Ita Antonius Honcala *opusc.de va[]lore Missæ art.*11.*in fine.*

* Et non minimum inter popula[]res scandalum excitauit. Ita Angle[s] *Flor.Theolog.in 4.q.de valore Missæ artic.*1. *ad initium.*

* Et non modicam animis ho[]minum ingerit sordidæ cupiditatis, & auaritiæ suspicionem. Ita Barbosa *de off. & pot.Epi.p.2.alleg.24.num.5.*

* Et falsissima est, & valde digna, quòd à Summo Pontifice censuretur: quæ magno præiudicio est animabus; & mirum, quòd aliqui viri Christiani, & docti eam scribant, maximè vulgari idiomate; & ingentes, iam

inuexit

inuexit anxietates, & scrupulos tempore mortis ijs, qui ea vsi sunt. Ita rotundis verbis Henricus Villalobos *sum. Theol. mor. & canon. tom. 1. tract. 8. de Missæ difficult. 16. nu. 1.* Qui quidem sui pij desiderij factus est compos, cùm iam Summus Pontifex Vrbanus VIII. per decreta S. Congregationis Concilij eam opinionem censurauerit, & prohibuerit: vt infra §. 5. videbitur.

Subscribunt Miranda *man. prælat. tom. 1. qu. 41. articul. 23. concl. 5.* Franc. Sylu. *in 3. p. ad quæst. 83. artic. 1. q. 17.* Petr. Ledesm. *sum. tom. 1. de Euchar. cap. 18. concl. 10.* Vincent. Fernand. *mixt. disp. de sacrif. Miss. par. 4. dub. vnico ad 6. in fin.* Gliamas *method. part. 3. cap. 13. §. 17.* Georg. Polac. *aphor. cærem. Miss. nu. xvij. aphoris. 6. & seqq.* Bonac. *de Sacram. disput. 4. quæst. vlt. punc. 7. §. 2.*

1 Iustum enim stipendium lege, aut consuetudine taxatum est; vt superiùs dictum est *sect. 3. prænot. 5. §. 2.* Ergo contra iustitiam est illum ter- A lege, & iustitia.

minum excedere. Suarez, *vbi sup.*

2 Deinde, iustum stipendiũ datur Sa cerdoti titulo suæ sustentationis, v sup. *sect.3.prænot.*1.§.1.*num.*2. Ergo cùm Sacerdos ab vno iustum stipendium accepit, ab eodem vel ab alio sti pendium sumere non potest: cùm i eo duplex titulus sustentationis no sit. Vasq. *loco cit.*

* 3 Ampliùs, inter stipendi dantem & Sacerdotem recipientem oritur obligatio ex iustitia commuta tiua, vt sup. *prænot.* 1. §.1. Ergo Sace dos cùm alicui, recepto stipendio Missam debet, & alia stipendia pro ea dem Missa suscipit, inæqualitatem, & iniustitiam committit, siue respectu v nius, siue respectu multorum. Ledesm *ibid.*

Ab incon-uenienti. 4 Ad hæc, si posset Sacerdos pro vna Missa plura stipendia accipere, non solùm duo, vel tria, sed etiam tre centa, & mille posset accipere: hoc e nim fundaretur in infinito valore sa crificij Missæ; ideo non esset maior ra tio

tio de tribus, vel triginta stipendijs, quàm de trecentis, & mille, & amplius. Quod libenter admisit, & docuisse, & probasse putauit; & ostentauit aliquis ex recentioribus scriptor. Hoc autem apertè repugnat vsui Ecclesiæ, & dantium menti; & in absurda, *in principio huius* §. 1. ex præstantissimorum Doctorum verbis posita, incidit præcipitanter. Ergo pro vna dicenda Missa vnum solummodò stipendium accipiendum est. *Reginald. prax. fo. pœnit. t.* 2. *lib.* 23. *cap.* 17. *num.* 233. *ex* Soto lib. 9. *de iust. & iur. q.* 2. *art.* 2.

5 Præterea, Sacerdos ad suscipiendum sacros Ordines ecclesiasticos beneficio, aut pingui patrimonio non indigeret, cùm pluribus eleemosynis legitimè pro vna Missa receptis, commodè vitam sustentare posset. Sed contrarium statuit S. Concilium Tridentinum *sess.* 21. *decreto de reformat. cap.* 2. de non ordinandis pauperibus, qui postea mendicare cogerentur; vt supr. tactum est *prænot.* 5. §. 1. *numer.* 3. Ab inconuenienti.

E 5 Ergo

Ergo ex Concilio elicitur, plura stipendia ratione vnius Missæ accipi non posse.

6 Et licet oppositam sententiam aliqui Caietanum docuisse affirment, quia ex alia eius opinione de valore Missæ erumpere videtur, illud tamen formaliter, & directè nunquam docuit, neque practicè esset probabile Suar:& Ledesm.*vbi sup.*

Decretum S.Congreg. Concilii.

* 7 Adest denique Decretum S.Congregationis Concilij, quo sub obtestatione diuini Iudicij præcipitur, vt absolutè tot Missæ dicantur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ *præscriptæ fuerint.*

Quæquidem verba. *Præscriptæ fuerint*, intelligenda sunt de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam, numerum Missarum celebrendarum non præscripserit, tunc tot Missæ celebrari debent, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem suæ Ciuitatis, vel Pro-

uinciæ. Ita habetur in Declarationibus eiusdem S. Congregationis *super Decretis de celebratione Missarum ad*. 2. *dubium*: vt dictum est superiùs *sect*. 3. *prænot*. 3. §. 2. *nu*. 9.

Si autem testator aliquis disposuit, ac reliquit, vt pro eius anima celebrentur centum Missæ; nullam autem præscripsit determinatam eleemosynam; non erit liberum hæredibus eleemosynam sibi benè visam præscribere: sed ab Episcopo congrua eleemosyna præscribenda est, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum iuxta prædictum morem suæ ciuitatis, vel prouinciæ: vt in in eisdem Declarationibus habetur ad 5. *dubium*.

Decretum autem huiusmodi cum alijs de celebratione Missarum, & cum eorum Declarationibus ponitur inferiùs *sect*. 5.

* 9 Pro Missa solemni etiam maior eleemosyna debet assignari, quàm pro Missa priuata: nam quo magis de- Stipendium pro Missa solemni maius.

detinetur Sacerdos in ministerio Missæ, maius stipendium pro sua sustentatione recipere potest: cùm stipendium Sacerdoti soluatur, non absolutè pro sacrificio: sed pro labore, opere, ministerio, & sustentatione; vt sæpius dictum est.

* 10. Ideo in die Natiuitatis Domini, si pro aliquo Sacerdos dicit tres Missas, tria stipendia accipere potest.

* 11 Et quando ei imponitur Missa cum Officio defunctorum, maiori etiam eleemosyna honorari potest, ac debet. Petr. Ledesm. *sum. par. 1. de Eucharist. c. 18. concl. 9.* Roderi. *sum. tom. 4. cap. 52. de Missa concl. & numer. 3.* Suar. *dicta disputat. 86. sect. 2. ibi. Dico tertiò.* Bonac. de *Sacram. disputation. 4. q. vlt. punc. 8. num. 13.* Alphon. de Leo. *de off. & potest. Confessarij temp. Iubil. p. 3. numer. 12.*

Pro missa cum Officio defunctorum.

* 12. In diebus etiam Festis potest Sacerdos pro Missæ celebratione duplum eleemosynæ, quæ alijs diebus dari

Stipendiũ maius pro Missa in diebus festis.

dari consueuit, accipere: nisi ab Episcopo prohibeatur. S. Carolus Borrom. *act. Mediol. par. 2. syn. diœces. 3. decr. 16. Congreg. Pœnitentiar. Mediol. summar. decis. num. 7.* Bonac. *loco cit.* Homob. *de exam. Ecclesiast. tom. 1. tract. 4. q. 120.* Alphon. de Leo. *vbi sup.* Ratio est, quia pro Missa solemni licitè datur, & sumitur maius stipendium, vt dictum est hic *supra numer. 9.* Ergo licitè etiam taxari & recipi potest duplum eleemosynæ pro dicenda Missa in die Festo.

* Potest etiam adiungi, conuenientissimum esse, vt Sacerdos in diebus Festis, præcipuè solemnibus, maximè vero in ijs, qui ieiunijs succedunt, maiori gaudeat sustentatione.

§. II. Quando verò stipendia non sunt integra, nec iusta, an possit Sacerdos ab vno, vel à diuersis tot parua stipendia recipere, quæ iustæ eleemosynæ æquiualent, & vnum tantum Missæ sacrificium pro omnibus illis offerre: aliqui partem affirmatiuam tenuerunt, **De stipendio non iusto.**

 runt,

runt; ea ducti ratione, quòd terminus iustitiæ non exceditur, cùm lege, vel consuetudine stipendium determinatum sit. Cord. *lib.* 1. *q.* 4. *dub.* 1 Honcala *opusc. de valore Missæ. art.* 11. & 16. Angles. *For. Theolog. in* 4. *quæst. de valore Missæ art.* 2. *concl.* 2. *append.* 2. Suar. *disp.* 86. *Sect.* 4. Nugn. *de Sacram. tom.* 1. *par.* 3. *tract. de sacrif. dub.* 9. *concl.* 2. Gliam *method. par.* 3. *cap.* 13. §. 17. Megal. *sum. peregr.* 2. 2. *lib.* 2. *cap. primo quæst.* 4. *numero* 56.

Plura stipendia diminuta pro vna Missa accipi non possunt.

* 1 Sed negatiuè resoluendum, ac tenendum est. Tum quia qui paruum, & non iustum accipit stipendium pro dicenda Missa, renuntiat iuri suo. Henriq. *lib.* 9. *de Missa, capite vigesimo secundo, numero quinto, qui loquitur de de diuite Sacerdote.*

* 2 Tum quia Sacerdos acceptans paruam eleemosynam, exteriùs promittit integram Missam; in mutuis enim, siue onerosis promissionibus tenemur exteriora signa promissionis intelligere, prout communiter. intelli-

telliguntur, & sicut scimus, hic & nunc ab alio intelligi; sed dans eleemosynam Sacerdoti, vt Missam pro eo dicat, intelligit, vt integram celebret Missam; & Sacerdos eleemosynam acceptans, secundùm communé hominum sensũ censetur hoc ei promittere: ergo debet etiam pro paruo stipendio celebrare. Coninc. *quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *num.* 193.

* § 3 Tum quia qui Missam quotidianam, siue Capellaniam diminuti stipendij acceptauit, obligatur ad celebrandum secundum institutionem Capellaniæ, donec Missarum numerus à legitimo Superiore ad minorem restringatur, vt rectè dicit Henriq. *loco cit. cap. vlt.* Azor. *tom.* 3. *lib.* 12. *ca.* 6. *q.* 4. & alij. Ita qui tenue stipendium pro Missa acceptauit, debet eidem oneri satisfacere. Bonac. *de Sacra. disp.* 4. *q. vlt. punct.* 7. §. 2. *num.* 8.

* 4 Neque obstat, quòd lege superioris, vel consuetudine sit iustum

sti-

ſtipendium Miſſæ taxatum : nam le huiuſmodi ſtatuit ſolummodo, vt poſſit Sacerdos illud exigere; vel recuſar dicere Miſſã pro illo, qui nõ vult dar iuſtã eleemoſynam: non autem vt poſſit illum decipere, & ſua deuotione voto, vel alia obligatione fraudare.

* 5 Nec valet, quòd quando Sacerdo accipit diminutum ſtipendium, & illu non reſpuit, non cedit quidem iuri ſuo ſed modeſtia tacet, ne ſuſpicionem inducat auaritiæ: nam nulla immodeſtia, neque ſcandalum oriri poteſt, ſi Sacerdos admoneat petentem Miſſam, de iniuſto ſtipendio: & dum vtitur iure ſuo, & petit taxatam Lege, aut conſuetudine eleemoſynam, ne exquirentem Miſſam non integro ſtipendio priuet fructu, & beneficio ſacrificij, quod non velit offerre.

Decretum S. Cõgreg. Concilii.

* 6 Quibus rationibus additur, Decretum S. Congregationis Cõcilij quo præcipitur, quòd vbi pro pluribus Miſſis plura ſtipendia, quantumcunque incongrua, & exigua; ſiue ab vna;

ſiue

siue à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum, absolutè tot Missæ celebrentur. Vt habetur infra *sect.* 5. & in Declarationibus eiusdem S. Congregationis super Decretis *de celebratione Missarum ad.* 3. *dub.*

* 7 In vno tamen casu existimarem, Sacerdotem posse propter diminuta stipendia minorem numerum Missarum, quàm petitæ, & promissæ fuerint, celebrare, sine præiudicio obedientiæ Decreti Sanctæ Congregat. quando videlicet Sacerdos certum Missarum numerum promittit, ignorans stipendium iniustum: vt si quis ab eo quinque Missas exquirit, eique tradit pecuniam carta inuolutam: quam cùm acceperit; & Missas promiserit, inuenit postea eleemosynam esse insufficientem: tunc enim videtur Sacerdos posse ad eum numerum Missas reducere, cui stipendium iustum respondet; dummodo moneat eum, qui Missas petijt, quòd omnes illæ Missæ non sunt celebratæ, vt sibi consulat, & de alijs Missis

Aliquando vna Missa pro pluribus stipendiis incongruis.

Missis prouideat. Ratio est, quia iusti-tia inter dantem stipendium & Sa-cerdotem recipientem in eo casu non est æqualis; ideo Sacerdos, qui ini-stitiam stipendij ignorauit, & si nouis-set, onus non acceptasset, est læsus, & rationabiliter inuitus hoc passus est grauamen; quare potest se indemnem seruare, non læsa iustitia.

* Neque hic Sacerdos damnum infert animabus, pro quibus Missæ petebantur; consulit enim iuri suo; sed detrimentum animabus infertur ab eo, qui paruo stipendio, in carta occultato, plures Missas habere vo-luit. Azor. *tomo tertio, libro duodecimo, ca-pite sexto, quæst.* 3. qui asserit, tunc Sacer-dotem posse officium Iudicis implora-re. Megal. *sum. peregr.* 2. 2. *libro secundo, capite primo, quæstione quarta, numer.* 52. *&* 53. Alphons. de Leo. *de off. & pot. Con-fessar. temp. Iubil. part.* 3. *num.* 23. *versu, Ex-penditur.*

Pauperes Sacerdotes plura sti-

§. III. Neque pauperes Sacerdo-tes ab hac lege & decreto liberi sunt,

vt

vt possint plura stipendia pro vna Missa dicenda recipere. pendia pro vna Missa nõ possunt accipere.

1 Nam Ecclesia Missas non instituit ad alendos pauperes Sacerdotes; sed statuit, vt nullus pauper ordinetur. *c. non liceat. c. Episcopus. c. suis. c. cùm secundum. de præb.* & Conc. Trident. *sess. 21. de reform. cap. 2. sup. relatum. sect. 3. prænot. 5. §. 1. num. 3.*

2 Et qui pauper Sacerdotium sponte suscepit, sese ad officium, quod Ordinem sequitur, obligauit: si verò ex eo officio congruè sustentari non potest, alij non sunt cogendi, vt ei victum præbeant.

3 Qui verò ordinatus in paupertatem inciderit, aliqua arte, siue agricultura sibi victum quærat. *c. clericus. 91. distinct.*

4 Iustum etiam stipendium, vt sup. *sect. 3. prænot. 5. §. 2.* taxatum, sufficit ad panem, & vinum emendum: quibus solis, & etiam paucioribus, multi laici, etiam coniugati, & laborantes, toto die sustentantur. Nau. *Man. c. 25. nu. 92.*

5 Si

5 Si autem pauper Sacerdos pro vna Missa plura stipendia sumere pos-set, id posset etiam diues Sacerdos: n Altari seruit æquè ac pauper.

Paupertas non auget pretiũ rei.

* 6 Tandem à simili; paupertas non dat facultatem accipiendi rem a-lienam, inuito domino, nisi adsit extre-ma necessitas; neque ex parte vende-tis auget pretium rei: non enim pote pauper pluris vendere panem, quà diues, cùm idem sit pretium respec omnium. Ergo nec paupertas Sace-dotis auget Missæ stipendium, aliàs ab-solutè taxatum, nulla habita ratio paupertatis, aut non paupertatis mi-stri. Cordub. *lib.* 1. *q.* 4. *dub.* 2. Nau. *lo. ci* Suar. *disp.* 86. *sec.* 4. Angles *in* 4. *p.* 1. *qu de val. Missæ art.* 2. *concl.* 2. *append.* 3. Ioa Molan. *comp. Theolog. pract. tra.* 4. *cap. conc.* 4. *num.* 8. Alph. Madrig. *tract. de Sa cerd.* Bernard. Dias *monit. curat. lib.* 2. *ca* 27. *Posse. de off. cur. cap.* 2. *num.* 24. Maz zol. *reg. Sacerd. par.* 3. *de statu Sacerd. num* 16. Azor. *part.* 3. *lib.* 12. *c.* 6. *quæst.* 2. Mol *prompt. iur. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 16. *num.* 17

Io

Ioan. Cruz. *director. conſcien. de ſacrif. Miſſæ dub. 7. conc. 4.* Filliuc. *quæſt. mor. tom. 1. tract. 5. cap. 6. q. 10. num.* 188. Villalob. *ſum. Theolog. mor. & canon. tom. 1. tract. 8. de Miſſa difficult. 16.*

§. IV. Regulares quoque Sacerdotes non poſſunt, etiam ratione paupertatis, pro vno ſacrificio plura ſtipendia exigere. Regulares nõ poſſunt plura ſtipendia pro vna Miſſa accipere.

1 Nam Leo. X. concedit Sacerdotibus Regularibus, vt vna Miſſa ſatisfaciant multis eleemoſynis, datis pro multis Miſſis dicendis, ſi illæ eleemoſynæ non æquiualent valori vnius Iulij: apud Confert. *in collect. priuileg. regular. conſt. Leo X.* Ergo dato ſtipendio vnius Iulij, vel alio ſecundum legem, aut conſuetudiuem debent Regulares ſingillatim Miſſas iuxta numerum ſtipendiorum celebrare. De hoc autem priuilegio, & de eius validitate, & de modo, quo Regulares eo vti poſſunt, infra agendum eſt *ſect. 7. §. 8.*

2 Deinde, non dedecet Regulares mendicare, & ita victum ſibi quærere,

rere, & strictiori victu, & vestitu viuere: ergo ratione paupertatis minipossunt, quàm cæteri Sacerdotes, plustipendia pro vno sacrificio suscipeNugn. *de Sacram tom. 1. par. 3. tract. de scrif. dub. 9. concl. 9.* Roder. *sum. tom.* 4. *52. de Missa num. & concl. 6.*

Decretum S. Cõgreg. Conc.

§. V. Denique Decretum S. Congregationis Concilij, neque pauperSacerdotes seculares, neque Regularexcipit; sed Sacerdotibus, EcclesiCapitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Congregationibus, Domibus, & locis pijs quibucunque, tam secularibus, quàm Regularibus, mandat ac præcipit, vt tot Missæ dicantur, quot stipẽdia collata sunt & conferentur; vt sup. prætactum e*sect. 3. prænot. 3. §. 2. nu 9.* & in *hac conc§. 2. numer. 6*, & infra *sec. 5.* clarius cum alijs eiusdem S. Congreg. Decretis *de celebr. Miss.* & cum eorum Declarationibus.

CON-

CONCLVSIO II.

NVllus Sacerdos poteſt vna Miſſa multis ſtipendijs,ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collatis,pro pluribus Miſſis dicendis ſatisfacere: etiam ſi plures Miſſæ eſſent eiuſdem rationis, & qualitatis.

Vna Miſſa pro pluribus non ſatisfacit.

§. 1. Hoc certiſſimum eſt Theologis communioris, & verioris ſententiæ,quòd Miſſa,etiam ex opere operato,ratione effectus, quo ad meritum & ſatisfactionem, eſt finiti valoris: nam quod finitum eſt, ſi diuiditur multis, minus prodeſt ſingulis, quàm ſi vni tantùm exhiberetur, vt omnibus patet. Sed etiam firmiſſimum eſt apud grauiſſimos Theologos contrariæ opinionis, quod Miſſa ſcilicet ſit infiniti valoris, &c. Inter quos Aragon. qui acrius eam ſententiam fouet, dicit, hanc eſſe communem Doctorum ſententiam. *De iuſt. & in quæſtione octogeſima quinta,artic.3.dub.de eo qui ad idem ſacrificium vni debitum plures admittit, dicto*

dicto.2.Ideò rationibus præcipuè Th-
ologorum opinionis de infinito va-
re Missæ hæc conclusio comprobata
est.

Et quoad Regulares, idem doce
Doctores, qui maximè fauent Regu-
ribus. Roder. *qq. Regular. tom. 1. q. 43. a.*
17. Alphon. Madrig. *tractat. de præl. rel.*
Confett. sum. compend. priuileg. regular.
19. *cap. 3. in fine.*

Ab intentione Missam petẽtis

1 Qui enim petit Missam, vult p
tere, & sibi applicare tam directè
tum eius fructum, quocunque mo
illi prodesse potest; quàm indirec
pro ampliatione diuini cultus, qu
ex sua Missa euehere studet; nam si h
mines scirent, Sacerdotem pro dec
Missis, ab vno, vel à diuersis, decem st
pendijs expetitis, vnam tantummod
Missam celebrare, quilibet eorum
defraudatum reclamaret. Sed ex vn
vel paucis Missis non prouenit stipe
danti, vel dantibus tantus fructus, qu
tus ex pluribus Missis proueniret, vt v
sus Ecclesiæ comprobat, quo plur

Mis

Missæ pro eadem re, vel persona celebrantur; neque tanta ampliatio diuini cultus habetur, vt patet; ergo Sacerdos celebrans vnam Missam pro pluribus stipendijs, plures Missas exigentibus, suæ obligationi non satisfacit. Cordub. *lib.1.q.3.opi.5.concl.5.* Eadem vtitur ratione de eadem persona, plures Missas stipendio petente, Io. Dominicus Montagn. *disput. de valore Missæ*, *c. 25. not.3.*

2 Deinde, Sacerdos vna Missa pluribus Missarum obligationibus satisfacere præsumens, quamuis non videretur aliquem defraudare (dato quòd Missa esset infiniti valoris, & pro multis oblata singulis tantum valeret, ac si pro vno offerretur, vt hi auctores arbitrantur) iniustitiam committit. Ab iniustitia.

Primò, quia si plura stipendia pro pluribus Missis accipit, ac vnam tantum Missam dicit, iustum stipendium ad sui sustentationem excedit. Petrus Nau. *de rest. lib.2. ca.2. num.* 330. & *seqq.*

seqq. qui licèt ab opinione Cordub
& Martini Nauarri recesserit, qui d
cuerunt, non licere Sacerdoti pro vn
Missa vltra vnum stipendium accip
re; eorumque rationes conatus sit so
uere à *nu.* 320. & infra: liberè tam
hic fatetur, eam Cordubæ, & Ma
Nauarri sententiam, vt verissimam e
complectendam.

Secundò, quia illa plura stipen
recipit à dantibus rationabiliter in
tis. Tum ob magnam inæqualitat
vel suscepti laboris ad mercedem,
potiùs stipendij ad sustentationem.
rag. *loco cit. dicto* 2. Tum quia, qui pe
Missam pro se, vel pro amico, viuo,
mortuo, intendit habere totam M
sam, & non partem ad satisfaciendu
S. Ant. *sum. part.* 1. *tit.* 10. *c.* 2. §. 4. B
thol. ab Ang. *exam. confess. dial.* 5. §. 74
Tum quia qui stipendio petit Miss
si sciret Sacerdotem ab alio accep
stipendium pro sua Missa, alium S
cerdotem sibi quæreret, vt mani
stum est. Viguer, *de Sacram.* E

charist. vers. 16.

Tertiò, quia hoc est contra promissum, & virtutem fidelitatis, vt supra prætactum est in explicatione tituli præsentis Disputationis sect. 1. num. 3. Petr. Ledesm. *sum. part. 1. de Euchar. cap. 18. concl. 5.*

Quartò, quia stipendia non sumit ex eo, quòd putet, Missam esse infiniti valoris, & vna Missa posse pluribus obligationibus satisfieri: alioquin simoniam incurreret non secus, ac si pecunia daretur Episcopo, vt ecclesiasticum beneficium conferret: sed ea suscipit ad sui sustentationem, cui lege, vel consuetudine stipendium statutum est; vt dictum est supra sect. 3. prænot. 5 §. 2. Aragon. & Petr. Nauarr. *vbi sup.* Hieronym. Cratian. *de suffrag.* c. 4.

3 Ampliùs omni iure statuitur, neminem liberari ab obligatione soluendi aliquid vni, eò quòd debitum soluatur alter *ca. ea quæ, de iure patron.* Ergo per vnam Missam non A iure.

ſatisfit pro multis, ſtipendio Miſſas pe-tentibus, quibus ſingulæ Miſſæ deben-tur. Nau. *conſ. tom. 1. lib. 3. de celebr. Miſ. conſil. 8.*

Quod magis conſiderandum eſt quando aliquis ſtipendio petijt Miſſa ex voto, vel pœnitentia, vel legato. Roderic. *ſum. tom. 4. ca. 25. de Miſ. conl. 6.*

A Conc. Trid. 4 Fauet Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de reform. cap. 4.* vbi reſtrictio Miſſarum conceditur, quia in multis Eccleſijs ſatisfieri non poteſt pro Miſ-ſis legatis iuxta numerum à teſtatori-bus relictum. Sed hoc fruſtra conce-deretur, ſi poſſent Sacerdotes vna, vel paucis Miſſis propria auctoritate plu-ribus ſatisfacere.

Quæ quidem reductio Miſſarum ad minorem numerum cuilibet Sa-cerdoti, vel Eccleſiæ à Concilio Tri-dentino non permittitur, ſed Epiſco-pis in Synodis, & Generalibus Regularium in Capitulis Generali-bis. Ergo Sacerdotes particulares vi- Miſ

Missa non possunt pro pluribus satisfacere.

* 5 Neque est diuersa ratio, aut melior conditio in Missis eiusdem rationis, & qualitatis, id est, si omnes essent dicendæ de Spiritusancto, vel de Requiem, quando multi eas ab eodem Sacerdote petunt: nam si vnus petit plures Missas ab eodem Sacerdote, certum est, quòd exigit, vt pluries celebret: ergo quandò diuersi petunt plures Missas ab eodem Sacerdote, petunt, vt pluries, id est, pro singulis eorum sacrificet: At vna Missa satisfieri non potest pro pluribus Missis diuersæ rationis, & qualitatis, ab vna persona petitis; vt docent etiam Doctores contrariæ opinionis: ergo nec etiam pro multis Missis, à diuersis personis exquisitis, vna missa satisfieri poterit. In pluribus enim missis, siue eiusdem, siue diuersæ rationis, fructus Missæ distinguitur, & pluries honoratur, & colitur Deus, vt dictum est supra *sectio. 3. prænot. 4. §. 6. num. 7.*

Nec valet eadem ratio, & qualitas Missarum.

Quod clariùs elicitur ex Concilio Tridentino *loco citato hic sup. num. 4. de restrict. Missarum* : non solùm enim loquitur de Missis ab vna persona relictis , sed etiam à diuersis ergo Sacerdos particularis nullum genus Missarum propria auctoritate minuere potest, & vna Missa pluribus obligationibus satisfacere: ex illa regula, *Vbi lex non distinguit , neque nos distinguere debemus*. Alph.de Leo.*de off. & p.* *Confessar.temp.Iubil.par.5.num.16.*

Superioris licentia nō iuuat.

§. 11. Ne iuuat scientia, aut licentia superioris , in contrarium concedentis ; nisi esset summus Pontifex , qui concederet : vt infra *sect.* 7 §.12.

1 Primo, quia superior potestatem non habet remittendi obligationem soluendi debitum , quæ contrahitur iure naturali , diuino,& humano. *c. si res aliena.* 14.q. 6. Sed Sacerdos,qui pro Missa dicenda eleemosynam accepit,de iustitia ex natu-

re

rei integram illam portionem Missæ, quæ illi vt ministro publico ad applicandum commissa est, applicare tenetur: ergo non potest Superior concedere, vt vna Missa pluribus obligationibus satisfiat. Nauarr. *dicto consil.* 8. Barbosa *de off. & pot. Epi. part.* 2. *allegat.* 24. *numer.* 5. Megal. *consil.* 63. *nu.* 2.

2 Secundò, quia non potest alteri dare facultatem, quam ipse non habet, *ca. non autem de iure patron.* Sed prælatus nulla ratione facultatē habet vna Missa satisfaciendi pro multis quibus singulæ debentur, rationibus superiùs adductis in hac 2. *concl.* §. 1. Ergo neque id alteri poterit indulgere. Nauarr. *loco cit.* Madrigal. *tract. de prælatis religio-sor.*

3 Neque obstat Concilium Tridentinum supra d. *sess.* 25. *de reform. c.* 4. vbi conceditur Episcopis & Generalibus Ordinum Regularium, vt magnum numerum, Missarum ad minorem possint reducere. Id enim

illis non absolutè conceditur; sed in Synodis, & in Capitulis Generalibus, præuia matura consideratione; & pro antiquis varijs defunctorum relictis ante ipsum Concilium Tridentinum impositis; quibus ob paruitatem stipendij, & paruum numerum Sacerdotum satisfieri non potest, cum alijs limitationibus, quæ infra videndæ sunt, & perpendendæ *sectio* 7.§.5.

Collectarum multitudo non sufficit.

§. III. Nec sufficit adiectio Collectarum; quia per eas non potest Sacerdos partem illam valoris medij Missæ (de quo sup. *sectio* 3.*prænot*.3.§.1.*num*.3 *&* §.2.*nu*.3.) quæ vni debetur, alteri applicare.

1 Et qui stipendio Missam petijt intendebat habere totam Missam non commemorationem, aut Collectam: præcipuè si stipendia offerebat pro Missis legatis, aut voto, vel alia obligatione debitis. Nau. *vbi sup*. Raguc. *tract. de Missa q*.74.

* 2 Neque valet, quod Sacerdos

reci-

recipiens ſtipendium à petente Miſſam intentionem habuit non dicendi Miſſam integram, ſed commemorationem: vel ſermone ambiguo vſus eſt, & promiſit ſolùm pro eo orare: nam fraudat petentes Miſſas fructu & valore ſacrificij, qui longè omnem excedit orationem. Azor. *p.3.lib.12.cap.6.q.2.* Alphon. de Leo. *de off. & poteſt. Confeſſor. temp. Iubil. part. 3. numer. 10.*

Promiſſio ambigua non ſuffragatur.

§. IV. Neque obſtat Caietanus *quodlib.1.q.18* & alij eius ſequaces, qui contrarium tenuerunt; qui communiter in hoc non recipiuntur; & vſus Eccleſiæ contrarium habet. *Ita* Nau. *loco ſup. cit.*

* Imò licèt ea opinio auctoritate Theologorum, qui eam aſſerebant, probabilis ab aliquibus haberetur; tamen poſt Concilium Tridentinum, ſuperiùs relatum *in hac concluſ.* §. 1. *num. 4.* maximè verò poſt decreta S. Congregationis Concilij *de celebratione Miſſarum*, ea opinio ſuſtineri non

poteſt; cùm omnem iam probabilitatem amiſerit ex lege & decreto, quod contrarium determinat illis verbis *Sacra Congregatio ſub obteſtatione diuini Iudicij mandat & præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant.* Quod quidem Decretum cum alijs de celebratione Miſſarum habetur infra *ſect.* 5.

Decret. S. Congrat. Conc.

Vbi adeſt etiam ipſius declaratio quæ poſita eſt ſuperius *ſect.* 3. *prænot.* 3. §. 2. *num.* 9: & *ſect.* 4. *concl.* 1. §. 1. *numer.* 7. videlicet, quod verba illa, *Præſcriptæ fuerint*, intelligenda ſunt de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit; non autem ab Ordinario. Quòd ſi tribuens eleemoſynam, numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſæ celebrari debent, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundum morem ſuæ Ciuitatis vel Prouinciæ. Sic habetur in *Declarationibus eiuſdem S. Congregationis ad* 2. *dub.*

E

Et in eisdem Declarationibus *ad 4. dubium*, iterum determinatur, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.

CONCLVSIO III.

SAcerdotes cuiusuis Ecclesiæ, aut Monasterij, beneficio gaudentes, vel carentes, qui plura stipendia pro vna Missa sumunt; & vna Missa pluribus promissis Missarum obligationibus volunt satisfacere, mortaliter peccant. Martin. Nauarr. *man. cap.* 25. *numer.* 92. Petr. Nau. *de restitut. lib.* 2. *capit.* 2. *numer.* 382. Barthol. ab Ang. *exam. confess. dial.* 5. §. 754. Graff. *decis. aur. par.* 1. *li.* 2. *cap.* 45. *num.* 17. Honcala *de valore Missæ art.* 11. *dicto.* 2. Arag. *de iust. & iur. q.* 85. *art.* 3. *dub.* Peccatum mort circa multa stipendia pro vna Missa.

de eo qui ad idem sacrif. vni debitum *plur*
admittit.dicto 1.Tolet.*instruct. lib.* 2.*cap.*
8.*num.* 3. Roderic.*sum. part.* 1. *cap.* 25
concl. 2. *&* 4. Alph. Madrig.*tract. de Pa*
rochis. Raguc. *tract. de Missa q.* 44. *& q*
72. Homob. *de exam. eccl. tom.* 1. *tract.*
cap. 13. *q.* 121. Georg. Polac. *aphorism.*
rem. Miss. num. xvij. aphor. 17. Ang. Van
discipl. clericor. de valore Missæ. pag. 14
Alph. de Leo. *de off. & pot. Confess. tem*
Iub. p. 3. *n.* 23. Steph. Fagund. *de præcep.*
cl. li. 3. *c.* 2. *n.* 9.

1 Nam illud est contra promissum & fidelitatem: ergo mortale peccatum est.

A promissione, & fide.

Antecedens declaratur. Sacerdot dantibus stipem pro pluribus Missi plures Missas promittunt: alioqui Missas exquirentes alios Sacerdot adirent, vt pluribus suis stipendijs plures Missas haberent: vnde si postea to Missas, quot fuerunt stipendia, & quot promissæ sunt, non celebra Sacerdos, promissum non persol uit.

Confe

Consequentia demonstratur. Promissio simplex homini facta, in re graui & acceptata, obligat sub mortali ad sui impletionem. Nau. *in m. cap.* 18. *nu.* 6. Soto *de iust. & iu. lib.* 7. *quæst.* 2. *art.* 1. Ricard. 4. *dist.* 38. *quæst.* 3. S. Ant. *sum. part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 1. §. 4. Aragon. *de iust. & iur. quæst.* 88. *de voto. art.* 3. *de oblig. simpl. promis.* Less. *de iust. & iur. lib.* 1. *cap.* 18. *dub.* 8. *num.* 55. qui citat Couar. *in c. quamuis pactum.* §. 4. Obseruantia enim promissionis pertinet ad iustitiam commutatiuam: quia in promissione astringitur fides, quæ non solùm pertinet ad iustitiam, sed præcipuum est iustitiæ fundamentum, vt Theologi ex Cicerone *libro primo offic.* decernunt. Sed iustitia in re graui obligat sub mortali, S. Thom. 2. 2. *quæst.* 59. *artic.* 4. Nam quod est contra charitatem, quæ est vita animæ, in re graui, est peccatum mortale, sed facere contra iustitiam est contra charitatem, quia facere iniustum est alteri nocumentum inferre: quodcunque autem nocumen-

Promissio simplex aliquando obligat sub mortali.

Iustitia obligat sub mortali.

tum alteri illatum charitati repugnat; ideo facere contra iustitiam in re graui, aduersatur charitati. Ergo in re graui contra promissionem agere, est mortale peccatum.

At non dicere tot Missas pro tot stipendijs, Missas exquirentibus promissas, est contra promissionem, fidem, iustitiam, & charitatem: quamuis vna solùm, vel duæ defraudarentur (vt infr. *conc.5.§.2.*) & quidem in re graui, quia Sacerdos pluribus Missis obligatis, & prætermissis, Deo honorem non defert & cultum; & eum, qui multis stipendijs Missas exquisiuit, iniustè priuat notabili fructu spirituali, satisfactionis videlicet, ac impetrationis, quem intendit sibi & alijs, præcipuè defunctis, qui grauissimis pœnis affliciuntur, procurare: maximè si is, cui facta est promissio, testamento, voto, pœnitentia, debebat eas Missas facere celebrari: ergo Sacerdos, qui pluribus Missis promissis, vna tantummodo Missa vult satisfacere, mortaliter pec-

cat.

cat. Pet. Nauarr. *de restit. lib. 2. cap. 2. num.* 381. Roderic. *sum. par. 1. cap. 251. concl. 5.* qui hoc idem affirmat de Sacerdote qui Missas promisit, etiam si non acceperit stipendium; quia promisit, & non obseruauit; ergo multò magis affirmandum de Sacerdote, qui stipendiũ accepit.

* Si enim in mechanicis artibus, & inter terrenarum rerum mercatores tota veritas & sinceritas obseruatur: & in legibus ciuilibus quæcunque fraus, & quodcunque præiudiciale mendacium punitur, quæ veritas in Christiano Sacerdote requirenda, qui est magister Euangelicæ veritatis?

2 Præterea, Sacerdos, qui Magnam Missarum multitudinem anticipato stipendio promittit, & per longum tempus, promissum non implet, mortaliter peccat, quia Dei honorem, & proximi beneficium, præcipuè defunctorum, defraudat perinde ac illi, qui pecuniaria habent debita

A simili, qui differt Missas obligatas, pec. mortaliter.

Sylu.

Sylu. *verbo Missa* 1. *quæst.* 10. *in fine* Angel. *tit. eo.* §. 52. Cordu. *li.* 1. *quæst.* 4. Petr. Nauarr. *de restit. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 366. & *seqq.* Aragon. *de iust. & iur. quæst.* 85. *art.* 3. *dub. quid sit dicendum de postponentib.* *Missas.* Petr. Ledesm. *sum. par.* 1. *cap.* 18. *conc.* 17. Io. Bapt. Conrad. *resp. part.* 2. q. 353. Villalob. *sum. Theol. mor. & canon. par.* 1. *tract.* 8. *difficul.* 18. *num* 1. Reginal. *prax. fo. pœnit. tom.* 2. *lib.* 23. *num.* 236. Nã si Missæ celebratio à dante stipendium præcuretur ratione impetrationis, id est, pro aliqua indigentia sanitatis, pacis, matrimonij, vel itineris: ex dilatione damnum spirituale, vel temporale in prædictis indigentijs potest illi contingere: hoc autem damnum ei à Sacerdote iniustè infertur. Si verò sacrificium exquiratur ratione satisfactionis, maximè pro defunctis, summa iniustitia committitur in dilatione, animæ enim acerbissimis doloribus addictæ debito suffragio non liberantur.

Ergo multò magis mortaliter peccat Sacerdos, qui multis stipendijs ac-

ceptis. & multis sacrificiis promissis, vno tantùm satisfacere curat: quoniam non solùm per longum tempus promissum non soluit; sed illud negligit omnino, & nunquam implet.

* 3 Deinde, Sacerdos, qui maius stipendium, quàm lex, aut consuetudo præscribit, extorquet pro vna Missa: si extorquet apertè, quia negat se missam dicturum, nisi maius stipendium tribuatur: peccat quidem mortaliter, supposita materia graui, siue notabili, & ad restitutionem tenetur, vt videbitur *infra concl. 5.* quia facit contra iustitiam, dum auget pretium lege firmatum: si verò extorquet dolosè, dum decipit eum, qui vult missam, dicens ei, quòd illud maius stipendium, quod sibi vult solui, sit iustum, lege, vel consuetudine taxatum, peccat etiam contra iustitiam, & peccato furti, cùm excessum illius eleemosynæ accipiat, ac retineat cum mendacio & fraude, inuito domino, & ex consequenti tenetur hunc excessum restituere. Suar. *tom. 3 in* A simili de eo, qui maius extorquet stipendium.

3. p.

3.p.disp.86.sect.4.Vasq.tom. 3. disputat. 234.cap.4.Azor.tom.3.lib.12.cap. 6. Coninc.quæst.83.art.1.dub.10. num. 191 Roderic.sum.tom.1.cap.251.conc. 4. Mirand.man.prælat.to.1.q.41.art.45.conc.1 & 2.Cordub.lib.1.quæst.4.versu , Igitur quod Amplius.Naua.man.cap.25.num.91 Bonac.de Sacram disp. 4.quæst.vlt.punct. 8.num.11.Barbosa de off. & pot. Epi.p.3 alleg.24.num.10.Alph.de Leo. de off & pot.Confessar.temp.Iubil.p.3.nu. 10. Ergo & multò magis peccat mortaliter Sacerdos,qui non maius stipendium, sed plures eleemosynas pro vna Missa dicenda sumit, & plures petitas & promissas non celebrat Missas.

A iuramento

4 Amplius,hoc idem interdum est contra iuramentum promissorium, vt patet in legatis, vel aliàs datis pecuniis pro Capellanijs,Anniuersarijs, Missis quotidianis, vel aliis eiusmodi oneribus, à Sacerdotibus acceptatis , & iuxta petita promissis , & iuramento firmatis ; sicut ex Notariorum actis in forma stipulationis apertissimum est:

est: ergo peccatum mortale periurij est, si tot Missæ non dicantur, quot promissæ fuerunt.

Iuramenti promissorii conditiones.

Nam in iuramento promissorio *duæ* necessariò requiruntur conditiones: *prima* est, vt veritas seruetur: si enim qui iuramento aliquid promittit, non intendit adimplere, periurium, atque adeò peccatum mortale committit, in omni casu, & materia, & propter quemlibet finem promittat. *Secunda* est, vt adsit iustitia: vt qui iuramento aliquid promittit, non sit peccatum mortale illud adimplere: alioquin mortaliter peccat. Caiet. *sum. verbo periurium.* Sylu. *verbo Iuramentum* 2. §. 7. *Soto de iust. & iur. libro secũdo. quæst.* 4. *art.* 3. Tolet. *instruct. l.* 4. *cap.* 21. *num.* 10. *& alij commun.* Tertia solet etiam desiderari conditio, quæ non est adeò necessaria; vt scilicet adsit necessitas, vel vtilitas: sed sine his aliquid iuramento promittere, solùm est veniale peccatum. Promissorium autem iuramentum, debitis conditionibus præ-

fultum,

fultum, ſub mortali peccato eſt adimplendum.

At Sacerdotum iuramentum promiſſorium pro tantis miſſis dicendis in prædicta forma ſtipulationis, eſt cum veritate: aliàs peccaſſent mortaliter: & cum iuſtitia, quia dicere miſſas pium, & ſacrum eſt: & etiam cum neceſſitate vel vtilitate legitimi contractus. Ergo Sacerdotes, qui tot miſſas, quot iuramento promiſerunt, non celebrant, peccant mortaliter.

A lege Eccleſiaſtica, quæ obligat ſub mortali.

* Tandem, lex humana, præcipuè Eccleſiaſtica, obligat ſub mortali ſi verbis præceptiuis feratur, qualia ſunt. *Mandamus, Præcipimus:* maximè ſi addatur *ſub obteſtatione diuini iudicij*; vel aliud ſimile, atque ſi ſub graui cenſura, aut alia pœna Eccleſiaſtica præcipiatur. Sylueſt. *verbo præceptum qu.*2. Ioan. Med. *de ieiun. ca.*7. Alphon. à Caſtro *de lege pœnali lib.*1. *c.*5. Nauar. *man. c.*23. *nu.* 50. & 53. Azor. *p.*1. *lib.*5. *cap.*6. *qu.* 5. Valent. *tom.* 2. *diſp.* 7. *q.* 5. *puncto* 9. *dub.* 3. Vaſq. *de legib diſp.* 158. *cap.* 3. & 5. Suar. *de legib.*

legib. lib. 3. cap. 15. & cap. 26. num. 7. & 8 Salas de legib. disp. 10. sect. 9. numer. 49. 51. & 53. Bonac. de legib. disp. 1. q. 1. punc. 7 §. 4. num. 8. & 30. Sà verbo Lex nu. 1. & 5. Becan. de legib. tract. 3. cap. 6. q. 3. reg. 3. & 5.

Decr. S. Congreg. Concil.

* At Sacra Congregatio Concilii in suis Decretis mandat, & præcipit sub obtestatione diuini Iudicii, vt absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: & quòd omnes Sacerdotes, tam seculares, quàm Regulares, eleemosynas manuales, & quotidianas pro Missis dicendis ita accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiẽdis, sub pœnis ipso facto incurrendis, quoad Sacerdotes seculares, interdicti ab ingressu Ecclesiæ; & quoad Regulares priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inha-

habilitatis ad alia de cætero obtinen-da, vociſque actiuæ, & paſſiuæ abſque alia declaratione. Quæ quidem De-creta infra extenſa ponuntur *ſect.* 5. E ibidem in Declarationibus eiuſdem S. Congregationis *ſuper Decretis de cele-bratione Miſſarum ad 4. dubium* iterùm determinatur, Sacerdotes, quibus die-bus, tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu Capellæ, legati, aut ſala-rii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſ-ſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatiſ-facere.

* Ergo Sacerdotes contrauenien-tes, qui plura ſtipendia pro vna Miſſa ſumentes, vna Miſſa pluribus obliga-tionibus Miſſarum volunt ſatisfacere mortaliter peccant.

6 Verum eſt tamen, quod prædi-ctum Decretum S. Congregationis nó prohibet abſolutè, ſacerdotes, qui ac-ceptis ſtipendiis non ſatisfecerunt, non poſſe nouas eleemoſynas accipere: ſed tunc poſſe noua etiam onera ſuſcipere

Miſ-

Missarum celebrandarum, quando infra modicum tempus possunt omnibus satisfacere: vt habetur in *dictis Declarationibus ad* 10. *dubium.*

7 Et multò magis id facere poterunt, etiamsi suscepta onera infra breue tempus adimplere nequeant, quãdo offerens eleemosynas, audito impedimento, consentit, vt Sacerdos Missam celebret cum primùm poterit; scilicet cùm susceptis primis oneribus satisfecerit: vt ibidem dicitur ad 11. *dubium.*

8 Neque administratores Ecclesiæ magnæ deuotionis, & concursus possunt eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, quando ijsdem Missis satisfacere non possunt, nisi post longum tempus: & prætextus ne cultus Ecclesiæ, & deuotio, atque concursus fidelium, vt aiunt, minuatur, eis nullo modo suffragatur: nisi adsit consensus eorum, qui eleemosynas tribuunt: vt ibidem statuitur *ad* 14. *dubiũ.*

9 Neque prohibitio dicti Decreti,

vt aliqui vellent, dirigitur ſolùm Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Piorum locorum tam ſecularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus ibi fit expreſſa mentio: ſed etiam priuatis omnibus Sacerdotibus: qui quidem comprehenduntur ſub clauſula illa generali *Et alijs, ad quos pertinet.* Ita explicatur *ibidem ad 15. dubium.*

CONCLVSIO IV.

De Capellanis & de Miſſa quotidiana.

SAcerdos, qui alicui Eccleſiæ, vel Altari inſeruit, & onus Miſſæ quotidianæ ſuſcepit, ſub mortali debet quotidie celebrare, niſi legitimè ſit impeditus, & nulla alia ſtipendia pro Miſſis dicendis accipere poteſt. Vaſq. *tom. 3. in 3. p. diſp. 231. c. 4.* Graff. *dec. aur. p. 1. li. 2. c. 45. num. 20.* Reginald. *prax. fo. pœnit. tom. 2. lib. 23. num. 234.* Raguc. *tract. de Miſſa q. 44.* Bonac. *de Sacr. diſp. 4. q. vlt. punct. 7. prop. 3.* Barboſa *de off. & pot. Epi. par. 2. allegat. 24. num. 28.*

§. I

§. 1. Quod vt clarius ac medullitus cognoſcatur, aduertendum eſt, inſtitutionem, ſeu legationem, & obligationem Miſſæ quotidianæ, dupliciter referri poſſe; vel ad locum, vel ad perſonam Sacerdotis.

Si ad locum, vt ſcilicet dicatur quotidie Miſſa in tali Eccleſia, in Altari maiori, vel in tali Capella, tunc Sacerdos, qui huiuſmodi onus habet Miſſæ celebrandæ, ſine vacantia quotidie celebrare tenetur, vel per ſe, vel per alium. Sylueſt. *verbo Miſſa* 1. *q.* 7. §. 5. Tab. *ti. eod. nu.* 44. Armilla *eod. nu.* 28. Nau. *Conſ. to.* 1. *lib.* 3. *de præb. conſ.* 25. Beia *part.* 2. *reſponſ. caſu.* 23. Quotidiana Miſſa rōne loci.

1 Nam vbi verba ſunt clara, non eſt recedendum ab eis. *l. non aliter, ff. de legib.* 3. Et in claris non eſt locus coniecturis *l. cōtinuus, §. cùm ita ff. de verb. oblig. apud.* Nau. *loco cit.* Sed clara eſt inſtitutio Miſſæ quotidie in tali Altari celebrandæ: ergo Miſſa quotidiana ratione loci, vacantiam non admittit.

2 Præterea, in loco non accidit in-

dispositio ad Missæ celebrationem, sicut in persona Sacerdotis. Ergo si ad Missam dicendam in tali loco vnus Sacerdos est impeditus, potest per alium obligationi satisfieri. Ergo Missa quotidiana in loco particulari celebranda vacantiam non patitur. Beia *vbi supra.*

3 Ad hæc, in dubio recipiendus est sensus, quo cultus Dei augetur. *sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. fun. apud* Nau. *suprad. cons.* Ergo si etiam non esset tam clara institutio Missæ quotidianæ localis, tenendum est eam non admittere vacantiam.

Quotidiana Missa ratione personæ.

§. II. Si verò Missæ quotidianæ institutio ad personam Sacerdotis referatur, duobus modis contingere potest.

1 Primo modo his verbis, *vel per se, vel per alium:* & tunc fundatio Missæ vacantiam non agnoscit.

2 Secundò modo absolutè, & simpliciter instituitur his, vel similibus verbis: *Eligatur Capellanus, qui quotidie*

celebret: & tunc Sacerdos non tenetur quotidie celebrare; sed quantò frequentiùs potest: salua sua honestate, & debita Sacramenti veneratione S. P. August. *relatus de consecr. d. 2. cap. quotidie.* Abb. *in c. significatum. de præb. & cap. consuluit. de celebr. Missar.* Syl. *verbo Missa* 1. *q.* 7. §. *vlt.* Tabien. *tit. eo. num.* 44. Armil. *numer.* 28. S. Ant. *sum. par.* 1. *titul.* 10. *cap.* 2. §. 3 Nauarr. *vbi sup.* Beia. *loco citat.* Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 39. *numer.* 8. Tolet. *instruct. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. Azor. *instit. mor. par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 7. Bartholom. Vgelin. *de off. Epi. cap.* 14. *num.* 3. Barbosa *de off. & pot. Epi. par.* 2 *alleg.* 24. *nu.* 31.

3 Sacerdos enim quotidie non est aptè, ac rite dispositus ad tantum offerendum: ergo institutio Missæ quotidianæ sine vlla vacantia illicita esset; cùm peccandi præstaret materiam.

§. III. Vacantia autem huiusmodi Missæ celebratione non sic accipien- De vacantia semel in hebdomada.

da eſt, vt Sacerdos ſemel in hebdoma-
da ex conſuetudine vacet à ſacrificio
vel voluptatis, vel curioſitatis, vel in
neris gratia, vel vt aliud ſtipendium
accipiat ad aliam Miſſam celebran-
dam; ſed ſolùm vt peccatum in ſacrifi-
cio ex mala diſpoſitione euitet; & cau-
ſa maioris honeſtatis, & deuotioni
niſi Miſſæ quotidianæ inſtitutio,
fundatio expreſsè hanc ordinariam v
cantiam concedat.

Vacantiæ à Miſſa origo.

* 1 Nam conſuetudo omitte
di Miſſæ celebrationem ſemel in he
domada, originem traxit *à cap. ſignifi
tum. de præbend.* vbi prædicta cauſſa h
neſtatis, & maioris deuotionis id co
ceditur. Quamobrem ceſſante cauſ
ceſſat etiam illa iuris conceſſio. Id
apertè demonſtratur, non licere S
cerdoti à Miſſis ex ſupradicta cau
vacanti, ad aliam Eccleſiam ſe tra
ferre, vt aliud ſtipendium ſumat, & c
lebret: quia non adeſt maior honeſt
aut deuotio. Quapropter ſi vult ce
brare, debet ſacrificium ſecundum ſ

ob

obligationibus institutum applicare. Nau. *conſ. to. 1. lib. 3. de præb. conſ. 6. nu. 3. S.* Carol. Borrom, *act. Mediolan. p. 2. ſynod. 3. decr. 23.* Campan. *diuerſ. iur. rub. 7. cap. 6. numer. 15.* Bonac. *de Sacr. diſput. 4. q. vlt. punc. 7. §. 2. n. 16.* Alphon. de Leo. *de off. & poteſt. Confeſſar. temp. Iubil. part. 3. num. 22.*

* 2 Nullo tamen modo negandum eſt, Sacerdotem, ſiue Capellanum ad quotidie pro alijs celebrandum obligatum, poſſe aliquoties in anno, vt quater, vel ſexies, vel fortè ſæpius, pro ſeipſo, vel pro aliquibus ſibi valde coniunctis ad ſpecialem aliquam gratiam obtinendam; vel pro anima ſui patris, vel matris, vel cariſſimi amici, aut benefactoris celebrare. Vacantia aliquoties in anno.

* Tum quia credibile eſt, pium quotidianæ Miſſæ, vel Capellaniæ inſtitutorem, ſi de tali caſu præcogitaſſet, vel interrogatus fuiſſet, id minimè negaſſe.

* Tũ quia nimis graue, ac intolerabile onus eſſet Sacerdoti, ſi obligatio-

nem naturalem, & charitatem in seip-sum, in proprios parentes, & in præci-puos amicos, aut benefactores omni-nino ei præcluderet: & toto tempore vitæ suæ quotidie pro alijs celebrare deberet; pro se autem, aut pro ijs, qui-bus plurimùm debet, nunquam posset sacrificium offerre. Nald. *verbo Missa n.* 7. Alph. de Leo. *loco cit*, Scot. *quodlib.* 20 *&* Lychet. *ibid.*

* Tum quia legi naturæ præiudi-care non potest positiua obligatio: Sa-cerdos autem lege naturæ magis obli-gatur sibi, & parentibus, quàm alijs; neque præsumendum est, Sacerdotem recipientem obligationem, velle se obligare contra rectum ordinem legis naturæ.

Missa de Sancto, vel de feria pro Missa votiua.

§. IV. Si autem obligetur Sacer-dos à fundatore ad Missam quotidie celebrandam peculiariter, votiuam sci-licet, aut de mortuis, potest celebrare de Festo, aut de Feria currente: & præcipuè quando Festum est du-plex.

Ideo

* Ideo *in cap. significatum, de præben.* Papa noluit confirmare institutionem Missæ quotidianæ de S. Maria; sed simpliciter dixit, quod Sacerdos ad eiusmodi præbendam electus, teneatur celebrare Missarum solemnia. Et idem dicendum, si hoc contingeret. Ita adnotauit, & docuit Abbas in dic. cap. *Subscribunt* Syluest. *verbo Missa* 1. §. 5. Tab. *eo. n.* 49 Rosel. *eo.* §. 2. Armilla *n.* 28 Beia *par.* 1. *respons. casu.* 23. Graff. *dec. aur. p.* 2. *li.* 3. *cap.* 15. *nu.* 41. Vgolin. *de off. Epi. cap.* 14. *nu.* 4. Azor. *instit. mor. p.* 1. *l.* 10. *ca.* 32. *q.* 5. Sà *verbo Missa nu.* 48. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 24. *nu.* 6. Roderic. *sum. par.* 1. *c.* 248. *nu.* 9. Franc. Syl. *in* 3. *p. ad q.* 71. *art.* 9. *resp. ad* 5.

* At quoniam cognoui, nonnullos aliter opinari, præcipuè quo ad obligationem Missæ de Requiem pro Defunctis, hic mihi accuratiori discursu hanc sententiam comprobandam (maximè quo ad Missam pro defunctis) & plurimorum Doctorum

auctoritate confirmandam esse cen-
sui.

An Missa de Requiē magis prosit defunctis, quam de Sancto.

* 1 Sacrosanctum igitur sacri-
ficium Missæ duobus modis conside-
rari potest: vel ex parte *Sacrificij*, vel e
parte Sacerdotis.

Ex parte *sacrificij*, id est, consecratio-
nis, & oblationis, seu ex parte repræ-
sentationis sacrificij Christi in Cruce,
quod appellatur valor essentialis Mis-
sæ ex parte operis operati; omnes Mis-
sæ, siue de Sancto, siue de Dominica,
aut de Feria, aut Votiua, aut de Re-
quiem sunt æqualis valoris; cùm in
qualibet earum idem sit sacrificium
& Sacramentum. Quamobrem à Sa-
cerdote, ad celebrandum pro alijs, &
præcipuè pro defunctis obligato, æ-
què satisfieri potest, si dicat Missam
de Sancto, vel de Dominica, vel de Fe-
ria, ac si diceret Missam votiuam, ve
de Requiem.

* Ex parte autem Sacerdotis ce-
lebrantis, & verba, ac orationes in Mis-
sa recitantis; quod appellatur valo

Missæ

Missæ accidentalis ex parte operis operātis; valor Missæ potest esse æqualis in Missa de Sancto, aut de Feria sicut in Missa de Requiem pro defunctis, & in Missa votiua pro viuis.

* 2 Nam deuotione Sacerdotis; qui vt plurimum libentius, & inde maiori attentione, & affectu Missam de Sancto, aut de Feria celebrat, quàm votiuam, aut de Requiem; orationes particulares pro defunctis in Missa de Requiem, vel in alijs votiuis, compensari possunt. Deuotione Sacerdotis Missa vtilior.

* 3 Præterea memoria Sancti, de quo dicitur Missa, eiusque virtutum, ac meritorum consideratio, Sacerdotis deuotionem in celebratione excitat, & adauget.

* 4 Ampliùs, Missa de requiem breuior est sæpe numero, quàm Missa de Sancto, aut de Feria: idcirco orationes etiam Missæ, breuioris temporis sunt, & fructus minoris. Et idem dici potest de Missis votiuis.

* 5 Ad hæc, Missa de Requiē cum à Sa-

à Sacerdotibus dicatur frequentiùs maiori celeritate, ac minori etiam attentione, ac deuotione, quàm aliæ Missæ, quandoque celebratur.

* 6 Ex aduerso autem nouitas Officij in Missa de Sancto, aut de Feria, promouet attentionem, & auget Sacerdotis deuotionem à qua augmentum valoris accidentalis Missæ ex parte operis operantis dependet.

* 7 Intercessio etiam Sancti, de quo dicitur Missa prodest animæ in Purgatorio existenti, pro qua celebratur, loco particularium orationum, quæ in Missis de Requiem reperiuntur.

Perturbatio deuotionis in Sacerdote.

* 8 Et magna profectò quidem, & inopportuna animi, ac deuotionis perturbatio euenit Sacerdoti, si postquam officium de Sancto occurrente recitauit; atque affectu, & meditatione ad Missam de eodem Sancto celebrandam se disposuit: maximè si Sanctus magnæ solemnitatis sit in Ecclesia, aut in eum Sacerdos particulari

deuo-

deuotione feratur (quamuis à populo ſolemniter non celebretur, vt frequenter accidere conſueuit) cum iam iam eſt celebraturus, & interdum etiam cùm indumentis Sacerdotalibus debiti coloris indutus eſt; ſuperueniat aliquis, qui Miſſam de Requiem pro aliquo defuncto eleemoſyna exquirat; & ipſe Sacerdos priores ſacras veſtes deponere, & paramenta nigra induere, & Miſſam de defunctis dicere cogatur. Licèt enim Sacerdos charitate, vel obligatione (ſi ſubditus eſt) tunc Miſſam dicat de Requiem, non mediocri tamen moleſtia, & minori attentione, ac deuotione ſacrificium offert, quàm ſi Miſſam de Sancto pro eodem defuncto dixiſſet. Et ita & Sacerdos, & defunctus aliquam partem fructus Miſſæ, eam videlicet, quæ ex maiori attentione & deuotione Sacerdotis, & ex ſancti interceſſione habetur, inaniter amittit; cum defuncto prodeſſe poſſit tam Miſſa de Sancto, quàm

de Requiem, vt explicatum est. Eti-dem dicendum de eo, qui Missam aliquam votiuam ex sua deuotione cum prædictis circunstantijs exigit.

Sensus Ecclę quid Missæ currẽti officii satisfiat pro mortuis, & votiuis.

* 9 Videtur etiam, sensus esse Sanctæ Ecclesiæ, vt Missa, responden-s Officio currenti, possit pro defunctis & pro alijs missis votiuis celebrari. Quoniam ritus, & ordo est S. Ecclesiæ vt Missæ votiuæ, aut particulares di-ci possint, quando officium non est du-plex, & tunc etiam (quando scilicet of-ficiũ nõ est duplex) Missa, quãtum fieri potest, officio respõdeat. Dicitur enim in Missali Romano in principio Rubri-carũ generaliũ: Missa quotidie dicitur secundùm ordinem officij. Et in eisdem Rubricis generalibus, *titulo de Mis-sis Votiuis, num. 3.* habetur: *Quæ tamen Missæ, & omnes aliæ votiuæ, in Missis priuatis dici poßint pro arbitrio Sacerdo-tum quocunque die officium non est duplex,* &c. Et clariùs *titulo de Mißis de-functorum numer.* 3. statuitur; Missæ autem priuatæ pro defunctis quocun-que

que die dici possunt, præterquam in Festis duplicibus, & Dominicis diebus. *Et in Rubrica de Missis votiuis*, quæ habetur ante Missam votiuam de sancta Trinitate, similiter dicitur: *Sequentes Missæ votiuæ, licèt pro Sacerdotis deuotione, quacunque die dici poßint per hebdomadam, quando Festum duplex non occurrit; hoc tamen paßim, nisi rationabili de causa fieri non debet: sed quoad fieri potest, Missa cum officio conueniat.* Et cùm Rubrica dicat, quòd huiusmodi Missæ dici non possunt, quando officium est duplex, vel dies dominicus, multò minus dici poterunt in diebus priuilegiatis, videlicet, in vigilia Natiuitatis Domini, & Pentecostes, infra Octauas Epiphaniæ, Paschæ, & Pétecostes, in Feria quarta Cinerũ, & maiori hebdomada: quibus diebus officiũ duplex transfertur. Non est autem existimandum, quòd Ecclesia, quæ pijssima mater est, Missam pro defunctis, vel ad viuorum deuotionem celebrari prohibeat in Festis duplicibus, quæ quidem frequé-

ter occurrunt: ideo ſenſus videtur Ecclesiæ, quòd Miſſa reſpondens officio, præcipuè duplici, pro Defunctis, & pro deuotione viuorum dici poſſit, ac debeat.

Regula de Turpi conditione.

*10 Quamobrem licet Miſſæ celebrandæ inſtitutor, vel teſtator dixerit: *Quotidie dicatur talis Miſsa votiua*, vel *Defunctorum*; aut qui manuale ſtipendium exhibet pro Miſſa, petat Miſsam defunctorum, eius verba non ſunt ita amarè intelligenda, vt ſic omnino Sacerdos celebrare teneatur, ſed ciuili modo, & morali; ex regula cõmuni de turpi conditione. Neque enim præualere debet voluntas Miſſam petẽtis ordini ac ritui eccleſiaſtico: ſed mentem ſuam inſtitutioni Eccleſiæ debet aptare, vt eius petitio ac deuotio ſit rationabilis, atque conueniens. Ideo in hoc caſu Eccleſia diſponit, & corrigit intẽtionem teſtatoris, vel inſtitutoris.

Sẽſus ſummor. Põt. quod miſſa officii currentis ſatisfiat pro mortuis.

*11 Videtur inſuper mens eſſe ſummorum Pontificum, quòd Sacerdos pro defunctis Miſſam reſpondentem officio

officio dicere valeat. Nã Greg. 13. gloriosæ & sanctæ memoriæ, dum priuilegium vniuersale ac perpetuum pro defunctis elargitur Altari Capellæ S. August. in Ecclesia S. Iacobi Bononiæ Patrum Ordinis S. August. concedit, vt quoties quicunque Sacerdos, siue secularis, siue Regularis, Missam ad dictum Altare, pro liberatione vnius animæ in Purgatorio existentis, suo vel alieno arbitrio celebrauerit, ipsa anima per huiusmodi celebrationem easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones consequatur, & ad ipsius liberationem, pro qua celebrabitur dicta Missa, operetur, quas consequeretur, & operaretur, si prædictus Sacerdos hac de caussa Missam ad altare situm in Ecclesia S. Greg. de vrbe, ad id deputatum celebret. Et fortasse priuilegia aliorũ quoq; Altarium pro defunctis eiusdẽ sunt tenoris: at in eiusmodi priuilegio nõ præcipitur, vt Missa de defunctis, siue de Requiẽ ꝓ anima in Purgatorio existẽte dicatur; sed absolutè indulgetur, ꝙ

dicatur Missa: ideò sensus Summorum Pontificum esse videtur, vt tantum valere possit pro defunctis Missa de Sancto, de Dominica, aut de Feria, quantum ipsa Missa de Requiem.

Missa de Sanctis libentius auditur.

* 12 Accedit, quòd populus communiter Missam libentius audit respondentem officio, maximè de Sanctis, quàm de Requiem, in qua benedictio populi præsentis prætermittitur. Quare ad alliciendum magis populum ad Missam audiendam; siue ad eum promouendum vt maiori voluptate ac deuotione sacrificio assistat, pro defunctis Missa dici potest de Sancto, aut de Feria.

Collectæ votiuæ, aut defunctorum an ponendæ, in Missis de sanctis.

13 Quando autem Missa de Sancto, aut de Feria celebratur pro defunctis, necesse non est, Collectam dicere pro mortuis. Nam applicatio Missæ non fit in Collectis, sed in memento; vbi Sacerdos valorem Missæ illi applicat, pro quo sacrificium offerre tenetur; idcirco necesse non est, Collectas pro defunctis adiungere.

14 Præ-

14 Præterea Pius V. sanctissimæ memoriæ in Bulla confirmationis Missalis Romani, præcipit in virtute sanctæ obedientiæ (& Conc. Trid. *sess.* 25, *decreto de obseruandis, & vitandis in celebratione Missarum*, idem statuerat) vt Sacerdotes, iuxta formam, ritum, & modum eiusdem Missalis celebrent; & nullo modo alijs cæremonijs & precibus, quàm illis, quæ in eo præscribuntur, vti præsumant. At sæpè in Missali Collectæ arbitrio Sacerdotis non permittuntur, præcipuè diebus festis; sed particulares præsignantur; aut vna tantùm dicenda est, vt in duplicibus: ideo tunc non erit dicenda Collecta pro defunctis, pro quibus Missa dicitur.

Rubricæ Missalis stricte obseruandæ.

15 Quod quidem præceptum Pii V. non Prælatis tantùm imponitur: vt aliqui vellent: sed omnibus Sacerdotibus. Tum quia Concilium Tridentinum *loco citato* (cui S. Pontifex inhærere videtur, eisdem verbis vtens) expressè præcipit Episcopis, vt edicto, & pœnis propositis caueant, ne Sacerdotes, qui-

Præceptum de rubricis Missalis obseruandis pro omnibus Sacerdotibus.

quicunque illi ſint, ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ fuerint. Tum quia non ſuppetit ratio, quare ſub forma præcepto, obligante ſub pœna peccati mortalis, præcipiatur Prælatis, etiam S.R.E. Cardinalibus, vt Miſſam ad præſcriptum Miſſalis noui decantent, & legant: cæteris autem Sacerdotibus libera relinquatur facultas alijs rationibus, & ritibus ad cuiuſque libitum celebrandi.

Inſtantia aufertur.

* 16 *Verùm*, qui Miſſam pro ſuis defunctis ſtipendio petit, niſi viderit Sacerdotem indumentis nigris indutum, & Miſſam de Requiem, aut ſaltem Collectam de mortuis non audierit, fo taſſe non credet, aut dubitabit Miſſam pro ſuis mortuis ſibi celebrari.

Reſpondetur, eum in hoc falſo iudicio grauiter errare: non enim præſumendum eſt. Sacerdotem in actu celebrationis nolle promiſſum ſuum implere;

&

& viuum, ac mortuum fructu Miſſæ, quam ex ſtipendio accepto, & promiſſione data celebrare debet, velle priuare: & exinde grauiſſimum peccatum committere, & oneri reſtitutionis ſubiacere.

* Præterquam quod ſi Sacerdos miſſam ei, cui promiſit, nollet applicare, ipſe quidem dicens miſſam de Requiem cum Collecta pro vno, aut pro pluribus defunctis, iuxta petitionem ſtipendio miſſam exquirentis, poſſet nihilominus valorem eſſentialem miſſæ ſibi ipſi, aut alteri viuo, vel defuncto in Purgatorio exiſtenti applicare: applicatio enim ſacrificij: vt ſuperius dictum eſt *num.* 13. non fit in orationibus miſſæ de Requiem: ſed in memento. Quapropter ſi miſſam petens Sacerdoti non credit: aut ſi Sacerdos velit eũ decipere (cuius fides in ſuſpicioné adduci non debet) parum quidem proderit, ſi Sacerdotem ſacris veſtibus nigri coloris indutum viderit, aut miſſam de Requiem ab eo audierit.

Missa de Requiẽ cæteris parib. vtilior.

* 17 Verum est tamen, quod si Sacerdos maiori deuotione non afficitur in dicenda Missa de Sancto, aut de feria, quàm de Requiem, dicere debet Missam de Requiem pro defunctis quibus obligatur: dummodo Festum non sit duplex, aut dies Dominicus: cùm excipiantur in Rubrica Missalis superiùs posita *nu.9.*

* Quoniam orationes Ecclesiæ quæ ordinantur in Missa de Requiem magis directè petunt, & obtinere possunt desideratum effectum liberationis animarum è Purgatorio: ideo cæteris paribus vtilior est Missa de Requiem.

*Et præterea, orationes, & alia, quæ in Missa defũctorũ dicũtur, miserias animarum in Purgatorio existentium clariùs demonstrant: & circumstantes ad orandum etiam pro defunctis magis excitare possunt.

* Hinc in die obitus, maximè verò præsente corpore defuncti, aut in die tertio, vel septimo, aut in anniuersario solen-

solenni, vtilior poterit esse Missa de Requiem, quàm alia. Quamuis eiusmodi vtilitates facilè compensari possint in Missa occurrente de Feria, aut de Sancto, ex maiori Sacerdotis deuotione, aut ex intercessione Sancti, de quo celebratur, vt dictum est *num. 2. & seqq.*

Promisso seruanda de Missis votiuis, vel de Requiē.

18 Si verò Sacerdos stipendio accepto, vel alias expresè Missam de Requiem, aut votiuam promisit, eam quidem dicere debet: nam tenetur implere promissum, ne virtus fidelitatis violetur; alioquin grauissimè peccaret: præcipuè si promissum iuramento esset firmatum, vt euenit in legatis, aut alijs obligationibus Missarum in forma stipulationis exceptis.

Quomodo Missas promittat Sacerdos.

* 19 At Sacerdos promittere deberet, se dicturum Missam pro defunctis eo modo, quo magis potest eis prodesse, aut Missa de Requiem, aut Missa de Feria, vel de Sancto, vel votiua, iuxta maiorem suam dispositionem, & deuotionem.

* 20

Quomodo populus Missas exquirat.

* 20 Et populus pariter pro suis defunctis, & alijs suis indigentiis, à Sacerdotibus eas Missas exquirere deberet, quæ maiori beneficio illis, aut sibi esse possunt, siue de Sancto, siue de Requiem: vt multi iam quidem missas hoc modo petere, & piè quidem consueuerunt. Maximè autem vtilissimum esset, pro defuncto missam de illo Sancto occurrente procurare, quem ipse defunctus, dum viueret Patronum sibi delegerat; vel cui animo erat propensiori; & eò amplius, si ille, qui missam petit, eundem Sanctum sibi Aduocatum selegit; sic enim præter valorem sacrificij, qui essentialiter in omnibus missis æqualis est, valor eiusdem missæ accidentalis ex parte operis operantis, ex deuotione Sacerdotis, & missam procurantis, & ex intercessione Sancti, cui defunctus inter viuos propensius obsequebatur, augeri potest.

* 21 Et hac de re passim admonendi, & instruendi sunt populi, ne scandalo

afficiantur, dum petentes missam pro mortuis, aut votiuam, nō audiunt missam de Requiem, aut aliam: & ne Sacerdotibus nimium molesti sint in exquirendis quotidie missis de defunctis, & votiuis. Nam eorum pietas magis grata erit Deo, si Ecclesiastico ritui congrua erit, iuxta dies, & tempora ab Ecclesia sponsa, quam sponsus cælestis maximè diligit, ordinata: & ideo missa si officio currenti respondebit, acceptabile munus Deo offretur.

* 22 Vniuersam hancedoctrinam sustinent, ac docent omnes Doctores, & grauissimi quidem, qui nunc citantur, quos diligenter, & singillatim in fonte videre, & animaduertere libuit: qui quidem expresse de Missa pro mortuis loquunrur. Eos, quia multi sunt, poterit Lector meus præterire, ne in eis legendis tædio afficiatur: quos recensere necessarium duxi, vt hæc doctrina vera, & communis appareat. S. Thom. 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 5. & in addit. 3. *part. quæst.*

71.

71.*art.9.ad* 5.Dionyſ.Carthuſ. 4. *ibid.* 3.S. Antonin.*ſum.part.1.tit.10.c.2.* §. Hoſtienſ.*lib.3.de conſecr. Eccleſ. vel alta* *num.15.*Angel.*verbo Miſſa nu.* 33. *&* 34 Roſella § 21.Piſanell *nu.*14.Io.de Fri burg.*ſum.confeſſor.lib.3.tit.* 34.*q.* 167. *fin.*Baptiſtiniana *verbo Miſſa, verſu,* V *trùm Miſſa de vno Sancto* Armilla *ver* *Miſſa num.*32.Tabien.*nu.*49.Sylu. *ver* *Miſſa* 1.§.4.*& meliùs verbo Suffragium,* 5.Corona.*part.3. de ſacrif. Miſſ. tit. ſeq* *tur Canon Miſſæ,num.*18. Dom. Soto *diſt.*45.*q.2.art.3 conc.1.ad finem.* Anto Honcal.*opuſc.de valore Miſſæ art.* 17.*pr* *poſit.*2.S.Carol,Borrom,*act.eccleſ.* M *diolan.par.1. conc. prouinc.* 6. *tit. Quæ* *Miſſam pertinent.*Mart.Nauar.*Conſ.to.* *lib.5.de pœnit.& remiſſ.conſ.37.nu.*2. V ctoria *de Euchar.num.*95.Beia *p.1.reſpo* *caſu* 23.Graff.*deciſ.aur.p.2. lib.3. ca.* *num.*41.*& tom.1 conſilior.li.* 3. *de cel* *Miſſar.conſil.*3.Henriq.*lib.* 9. *de Miſſa c* 23.*num.*6.Roderiq.*qq.regular.tom.*1 43.*art.*8.*&* 10.*& ſum.par.1.cap.*247.*n* 9.*& part.4.cap.*51.*nu.*1. Mirand. *ma*

prælat

prælat.tom.1.q.41.art.21.conc.1. & *2.* Azor.*inst.mor.par.1.l.10.cap.32 q. 5.* Sà *aphoris.verbo Missa num* 48.Suar. *tom.3. in 3.p.disput.83.sect.3.versu,in quo est magna.* Bernard. Parentin. *tilio. Missæ §. de collatio. gloriæ pro mortuis. q. 9.* Barthol. ab Ang. *dial.5.de Missa §. 740.* & 806. Timo. *de sacrif. Miss. tract. 3. q. 43.* Benzon. *spec. episc.* & *curat. lib.1.disp.2.q. 2. versu, Mitigantur.* Zerola *de Iubil.* & *Indulg.lib.1.cap.21.q.6.* Maiolus *de Irregul. lib 3. cap. 24. in fi.* Consalu. Durant. *in not.ad l. 4. c. 9. reuel.S.Brigit.* Iul. Calu. *Synax.lib.3.q.56.num. 7.* Seba. Catan. *summul. verbo Missa versu , obligatus* Alpho, Madrig. *tract.de Sacerdot. consid.vlt.* M.Ant.Genuen. *man. pastor. capit 72. num.6.* Fusc. *de regim. Eccles. lib.1. cap. 20. num.36.* Ant.Litter. *sum. compend. par.5. cap.2.num.6.* Anton.Manchet. *Flor.aur. pag. 43.* Posseu. *de off. cur. c. 14. num. 13.* Angel. Hallens. *rosar. Sacerd. de suffra. num. 98.* Petr. Ledesm. *par. 1. de Sacr.Euchar.c.17. conc.7.* Hieron. Gratian. *de suffrag. anim. pur. c. 4.* Reginald. *l.*

29.nu.208.Bonac. de Sacram. disp. 4.q. vlt.punc.7.§.3.num.4. Nald. sum. verbo Missa num.21.Molfes. prompt. iur. tom.1. tract.3.cap.15.nu.26.Filliuc.qu.mor tom. 1.tract.5.cap.5.n.154. Homob. de exam. ecclesiast.par.1.tract.4.cap.14.q.126.Mart. Roa de statu animar. in purgat. cap.11. Barb. de off.& pot.Epis.p.2.alleg..24.n.32 Io. Cruz.director.conscien. de sacrif. Miss. q.4.dub.2.conc.1.& 2 Alph. Vega sum. par.2. cap. 28.de Missis casu. 14.Henriq. Villalob.sum.Theol.mor.& canon. tom.1. tract.8.difficult.31.num.6.Raguc.tract.de Missa q.68.Alphon.de Leo.de off. & pot. Confessar.temp.Iubil.versu, Quaeritur quin. tò.And.Piscar.Castel.prax. ceremon.lib.1. sect.6.c.4.nu.8.& 10.

* Doctoribus his, eorumque sententiæ & doctrinæ fauent Sacri Canones c.Et hoc.de consecr. dist. 1. & c.quidam,& c.cum creatura de celebr.Missar. & Abb.in c.significatum,de præben. n. 3. Io. And.ibid.relatus ab. Ant. Corset. in repert. Abb.verbo Missa.

* Et pro doctrina nu.19. sunt.Ang. verbo

*verbo Missa.num.*34. Tolet. *instruct. lib.* 2. *cap.* 8. *nu.* 2. Philiar. *de off. Sacerd. to.* 1. *lib.* 2. *c.* 11 Io. Bapt. Scort. *de sacrif. Miss. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 3 & 4. Ant. Fernand. *exam. Theolog. moral. part.* 3. *capit.* 5. §. 3. *num.* 5. *& etiam* Henriq. *loco supra citato.*

* Et pro doctrina nu. 18. sunt Angel. *vbi sup.* Ricar. 4. *distin.* 38. *princ.* 3. q. 3. Valent. *tomo* 3. *disput.* 6. *q.* 6. Arag. *de iust. & iur. q.* 88. *de voto art.* 3. *de oblig. simpl. promiss.* Scort. *loco cit. num.* 4.

Missæ S. Gregorii an continuatè dicendæ.

§. V. Ex quibus infertur: quando triginta Missæ S. Gregorij, vt vocant, pro defunctis sunt à Sacerdote dicendæ, necessarium non esse, vt omnes de Requiem dicantur: nam absurdum esset in diebus solemnioribus, vt resurrectionis, Ascensionis, & similiũ, si in eis occurrent celebrandæ Missam dicere defũctorũ. Beia *p.* 1. *resp. casu.* 23.

Quæ Missæ non necessariò dicendæ sunt omnes sine dierũ interruptione.

1 Tum quia Missarum obligationes, etsi ad locum relatæ; vt dictum est §. 1. interruptionem nõ admittãt: rela-

tæ ad personam moraliter sic intelliguntur, vt salua honestate, ac deuotione Sacerdotis, quantùm fieri potest, magis continuæ celebrentur.

2 Tum quia si hæ Missæ ad medium Quadragesimæ imponerentur, in die Parasceue esset celebrandum: quod sine peccato mortali fieri nequit, vt omnes docent: & etiam in die Feriæ quintæ maioris, & Sabbati sancti, in quibus, licèt sine peccato mortali, vt aliqui volunt, non congruenter, neque licitè celebratur. *Suar. dis. 80. sect. 2. con.* 1. *Azor. instit. mor. part. 1. lib. 10. c. 24. q.* & *seqq.* Beia *vbi supra* Consalu. Durant. *in not. ad lib. 4. ca. 9. reuelat. S. Brigit.*

Missæ cõtinuatæ, an multiplicatæ magis prosint defunctis.

§. VI. Neque hoc loco prætereunda est, dubitatio, *an magis prosint defunctis Missæ continuatæ, an multiplicatæ, siuè simul factæ:* idest, *an tãtũ valeãt triginta Missæ triginta diebus celebratæ, quantum triginta vno die à diuersis sacerdotibus dictæ.*

1 Nam quantum ad celeriorem animarum à Purgatorio liberationem

magis eius prodest multiplicata vnius diei Missarum celebratio: quia sacrificium ex opere operato non tantum valet ad pœnę remissionem in proposito, & intentione, quantum in actu exercito & in executione.

2 Quantum verò ad meritum instituentis, magis valet Missarum continuata plurium dierum successio, quia magis ex ea honoratur Deus, cùm populus pluribus diebus commodè sacrum audire possit, & Deum colere. Quod considerans Ecclesia instituit Missas pro defunctis in die obitus, in die tertio, septimo, trigesimo, & Anniuersaria. Ideo neuter modus per Missarum oblationes beneficia præstandi damnandus est. Paludan. 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *conc.* 5. S. Anton. *sum. part.* 1. *tit.* 10. *capit.* 2. §. 5. *in fine.* Turrecrem. *in cap. quia alij* 13. *qu.* 2. *apud* Graff. *cons. tom.* 1. *lib.* 3. *de celebr. Missar. consil.* 5. *numer.* 5.

* §. VII. Si autem Sacerdos ab vno decem stipendia pro decem

Prioribus obligationib. prius satisfaciendum.

Missis celebrandis pro vno defuncto accepit, & successiuè ab altero decem alia stipendia pro alio defuncto; ac deinde à tertio, decem etiam pro alio defuncto; ita vt iã debeat triginta Missas pro tribus distinctis defũctis celebrare; verùm possit illas triginta Missas in cõmuni pro illis tribus, *an decẽ pro singulis sibi commendatis debeat celebrare, vt suo oneri satisfaciat?*

A simili.

* 1 *Respondetur*, Sacerdotem nequaquam perfectè tribus illis debitum soluere, si pro omnibus tribus in cõmuni celebrat. Ratio est, quia minus tribuit vnicuique eorũ, quàm quòd tenetur; nam si tres in carcere sint, quorum quilibet pro decem aureis ibi detineatur, si primo die soluam tantummodo decem aureos, pro omnibus tribus in communi, nullus eorum carcerem euadet; licèt debitum omnium eorum minuatur. Si secundo die eodem modo soluam, nullus itidem liberabitur, donec tertio die omnes tres tandem è carcere exibunt. At si primo die

die decem aurei soluerentur pro eo, cui primò debebantur, eodem primo die liberaretur; & sic de alio. Quare qui soluit decem pro omnibus in confuso, primorum duorum conditionem fecit deteriorem. Idem de existentibus in Purgatorio dicendum est: nam aliquis in Purgatorio ita potest esse dispositus, vt vna integra Missa liberari possit; & dato quòd alij duo sint in eadem dispositione, si vna tantum integra Missa pro his omnibus in communi dicatur, nemo eripietur: sed dicta singillatim pro vnoquoque eorum cõfestim liberabitur: ideo per celebrationes prędictas in cõmuni singuli eorũ diutius ibi detinentur. Palud. 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 4. Honcala *opusc. de valore Missæ art.* 12.

* 2 Similiter si prius tempore pro acceptis stipendijs debet Sacerdos decem Missas pro vno, & postea alias decem pro alio: meliùs est, vt priùs celebret decem Missas pro primo, ac deinde alias decem post primas pro secundo,

Primo petenti prius Missæ celebrandæ.

do, quàm alternatim, ideſt, vno die pro vno & alio die pro altero, Ratio eſt, quia retardatur impetratio rei, quæ à primo petente Miſſas deſideratur vel ſuffragium, & ſatisfactio pro eo, qui priùs Miſſas exquiſiuit: nam hic valet etiam illa regula iuris, *prior in tempore, prior in iure.* Sot. 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 4. Zerol. *de Iubil. & Indulg. lib. cap* 18. *q.* 6. Alphon. de Leo. *de off. & pot. Confeſſar. temp. Iubil. par.* 3. *num.* 23. Bonac. *de Sacram. diſput.* 4. *q. vlt. punc.* 7. §. 2. *numer.* 18.

Prior tempore prior iure.

Multis obligatus prioribus primas Miſſ. ſoluat.

* 3 Eadem ratione Sacerdos, qui multis Miſſarum obligationibus obſtringitur, quibus non poteſt ſtatim ſatisfacere, debet priùs pro prioribus celebrare, ac deinde pro alijs. Et ſi multa, atque notabilis eſſet dilatio, debet per alium Sacerdotē ſatisfacere alioquin mortaliter peccaret; dicitur infra *Concl.* 5. § . 1. *nu.* 4.

Miſſa quotidie pro fundatore.

§. VIII. Sacerdos igitur Miſſæ quotidianæ addictus, & non legitimè, vt hic *ſup.* §. 2. *nu.* 2. & 3. impeditus, qui

quoti-

quotidie non celebrat, vel aliud stipendium sumit, & sua Missa quotidiana, iam obligata, nouis petentibus vult satisfacere, contra iustitiam, & contra charitatem in Deum, & proximum, & contra fidem pacti, & intentionem institutoris Missæ, & aliquando contra iuramentum promissorium agit, vt explicatum est *in prima, secunda, ac tertia Conclusione*: ergo peccat mortaliter. Ideo quotidie debet celebrare, & à nouis stipendijs abstinere, & Missam fundatori applicare.

Quod confirmatur *Decreto S. Congregationis Concilij de celebratione Missarũ*, vbi sub obtestatione diuini Iudicij mandat, & præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant. Quod quidem præceptum afficere etiam eos sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, determinauit eadem S.

Congregatio in declarationibus *super decretis de celebratione Missar. ad* 4. *dubium* his verbis: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.*

Libera est Missa interdum.

* 1 Si autem ex eiusdem Missæ fundatione apertè constaret, id est, ex claris verbis institutoris, eam fuisse institutã solummodo ad alicuius Ecclesiæ, vel Altaris venerationem, & cultum: aut ad populi commodum pro audienda Missa (quod fortè rarissimè contingit) tunc poterit Sacerdos aliud accipere stipendium pro sacrificij applicatione. Homob. *exam. Eccles. tom.* 1. *tract.* 4. *q.* 121. Alph. de Leo. *de off. & pot. Confess. temp. Iubil. p.* 3. *nu.* 32. *vers. Limitatur tertio.*

In dubio fundatori applicanda

* 2 Sed in dubio non præsumitur institutam fuisse Missam ad cultum Ecclesiæ, vel Altaris, aut ad populi com-

commodum tantummodo; sed pro applicatione sacrificij: tum quia præsumendum est, fundatorem sibi voluisse consulere omni meliori modo; tum quia communis vsus, & sensus fidelium est, vt, dum eleemosynam pro Missis dant, vel instituunt, applicationem Missæ sibi petant, & velint.

* 3 In Confraternitatibus autem, siue in Confratrum Oratorijs, quando Festis diebus dicitur Missa, non præsumitur Sacerdotem debere illis applicare; nisi expresse id postulet, & declarent, cùm petunt Missam, vel Capellanum instituunt; nam ex circunstantijs dictarum personarum, & loci, vt videlicet post Officium diuinum ab eis recitatum habeant Missam, & in ea communicent, videtur Sacerdotis obligationem in eo consistere, vt solùm Confratribus Missam dicat: non vt pro eis applicet. Et ita sæpius consuluisse, & in praxi à viris doctis obseruatum esse, testatur optimus Pater Alphonsus de Leone. *loco supra cit.*

Celebrans in Confraternitatibus non tenetur applicare.

Consensus Missam petentis, vt pro eo solùm oretur.

4 At si aliquis dat stipendium pro Missa Sacerdoti, quem scit iam obligatum ad celebrandum quotidie pro alijs, & consequenter consentit expressè, vel tacitè, vt pro eo Collecta solùm dicatur, vel oretur in Missa; nullum dubium est, quin possit Sacerdos huiusmodi eleemosynam accipere, ex regula illa iuris, *Volenti, & consentienti nulla fit iniuria.* Consensus tacitus ex consuetudine præsumi potest; vt si Parochus tenetur celebrare quotidie pro alijs ex tabulis suæ Ecclesiæ, vel ex publico Episcopi præcepto; de qua obligatione vniuersaliter habetur notitia; & tamen adsit consuetudo, vt quando aliquis Parochianus dictæ Parochiæ moritur, Parochus etiam pro eo celebret, & stipendium sumat: vel etiam si aliquis alius non Parochianus, qui scit prædictum Parochum, vel Capellanum esse iam obligatum pro alijs, eadem, vel simili occasione stipendium pro Missa illi exhibet: tunc intelligitur, dantem eleemosynam cedere iuri suo, & acquiescere, vt pro eo tantummodo Colle-

cta dicatur, vel oretur in Missa. Scot. quodlib. 20. & Lychet. ibid. ad fin. Nauar. man. cap. 25. num. 92. Suarez disp. 86. sect. 3. conc. 3. Posseu. de off. cur. capitul. 2. num. 21. Alphon. de Leo. vbi sup. versu, Limitatur quartò.

Consensus tacitus raro contingit, vt non Missa sed Collecta dicatur.

* 5 Consensus verò tacitus eiusmodi rarò contingere solet, vt inquit Nauarrus cons. tom. 1. lib. 3. de celeb. Missar. cons. 1. Megal. cons. 54. Ideo si occurrat (quod sæpe occurrere solet (vt ob deuotionem B. Virginis Mariæ, aut alicuius Sancti, vel Sanctæ, miraculis, & gratiarum impetratione florentis, vel alio titulo, & caussa, multæ personæ quotidie magno concursu eleemosynas pro dicendis Missis alicui Ecclesiæ exhibeant; in qua Ecclesia duo tantùm, vel tres Sacerdotes (quod omnibus notum est) existant, qui tot obligationibus satisfacere non possunt: non est præsumendus tacitus consensus petentium Missas, vt celebratione duarum, vel trium Missarum dictorum Sacerdotum singulis diebus, omnibus

obligationibus satisfiat: nam personæ simplices, vt sunt mulieres, rustici, & vulgares, de ipsorum Sacerdotum obligationibus non cogitant, vel eas ignorant, vel paruum eorum numerum non aduertunt: & viri cordati putant, & credunt, prædictos Sacerdotes, si per seipsos omnes Missas celebrare non possunt, per alios Sacerdotes satisfacere.

Sacerdos in determinata Ecclesia, & Altari celebret.

§. IX. Si autem Sacerdos celebrat quidem quotidie, & secundum mentem fundatoris; sed non in determinata Ecclesia, vel Altari, non satisfacit: & ideo mortaliter peccat: nam finis institutionis Missæ, siue Capellaniæ remanet inobseruatus; locus enim electus erat quem fundator voluit frequentari, honorari, & coli: & etiam fortasse commoditati populi deseruire; quare menti eius, & voluntati satisfactum non est; & virtus fidelitatis, & promissio violata. Syluest. *verbo Missa* 1. *q.* 10. *in calce* Nauar. *de orat. cap.* 5. *num.* 2. *&* 12. *qui multa iura adducit.* Graff.

dec.

dec.aur.par.1.lib.2.cap. 53. *num.* 9. Azor. *instit.moral.tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 24. *q.* 8. Vgolin. *de off. Epi. cap.* 14. *num.* 4. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 9. Posseu. *de off. cur. cap.* 2. *nu.* 25. Riccar. *prax. edit.* 2. *dec.* 342. Bonac. *de Sacram. disputat.* 4. *q. vlt. punc.* 7. §. 4. *numer.* 2.

1 Quamobrem multò magis dicendum est, illum Sacerdotem non satisfacere, qui cum in Altari priuilegiato ex accepto stipendio debeat celebrare, alibi, & pro alio celebrat, & applicat: putans, indulto calculi aut numismatis benedicti, animam illius, pro quo celebrare tenebatur, è Purgatorij pœnis per modum suffragij liberare posse; non dicendo Missam pro ea; sed post Missam pro ea orando. Pactum enim & promissum in re graui hic Sacerdos non seruat: & eo sacrificio, quod petebatur, non colitur Deus; neque generalem sacrificij fructū Ecclesia consequitur: & intentioni petentis Missam non satisfit: qui enim pro Missa stipem dedit, voluit Missam, non

Missæ obligatus non satisfacit alio suffragio.

aliud

aliud suffragium. Hinc ex supradictis peccat mortaliter, cùm in re magni momenti contra promissum infideliter agat. Nau. *man. c. 25. num. 134.* Azor. *loco cit.* Barbosa *de off. & pot. Epi. p. 2. allegat. 24. nu. 33.* Ricc. *vbi sup.*

Obligatus in Altari priuilegiato an satisfaciat in alio non priuileg.

* 2 Si verò obligatus ad celebrandum pro aliquo in Altari priuilegiato, celebrat in alio Altari, eo animo, vt indulto calculi, vel numismatis benedicti, quod secum habet, eam animam, pro qua sacrificium obtulit, quantum ad se attinet, & priuilegium Indulgentiæ valet, liberare velit, & oret; non videtur deesse obligationi suæ, sed satisfacere; nulla enim adest differentia inter Indulgentiam Altaris priuilegiati; & calculi, vel numismatis benedicti pro mortuis, nisi quod illa est vniuersalis pro celebrantibus in dicto Altari; hæc verò est particularis, & personalis; ideo siue illa, siue hac Sacerdos vtatur, nullum præiudicium ei, pro quo celebrare debet, videtur inferre. Quod innuit Alphon. de Leo. *de off.*

off. & pot. Confessar. temp. Iubil. p. 3. numer. 29.

* 3 Hoc autem limitarem, quando ille, qui petijt Missam in Altari priuilegiato, vniuersaliter locutus est, & nullum Altare particulare determinauit. Si enim postulasset, vt in hoc, vel in illo priuilegiato Altari celebraretur, vel quia suum est Altare, vel quia voluit illud honorari, & coli, vel Ecclesiæ, & populi commodo obsequi voluit; tunc in petito Altari, & non alibi celebrandum est; alioquin intentioni, & voluntati petentis Missam non satisfieret.

§. X. Neque consensus hæredum suffragatur, vt Sacerdos suo muneri satisfaciat, si alibi, vel alio modo celebrat, quàm fundator, aut institutor Missæ, vel Capellaniæ dispofuerit: non enim est adimplenda voluntas hæredum, sed testatoris; iuxta Card. Imol. Bonif. *in Clement. quia contingit, de relig. domib.* M. Ant. Genuens. *man. pastor. c.* 72. *nu.* 12. Ricc. *prax. edit.* 2. *dec.* 342.

Hæredum consensus non valet, vt aliter celebretur.

§. XI.

Capellani iustum impedimentũ ratione loci.

§. XI. Quando autem iustum adest impedimentum, vt si Ecclesia est violata, vel Altare, seu Capella impedita, vel destructa, quid aget Sacerdos obligatus, seu Capellanus? Distinguendum est.

* 1 Si fundator Missæ, vel Capellaniæ statuerit, in tali Ecclesia, vel Altari celebrandum esse de illo Sancto, cui Altare, vel Ecclesia dedicata est, & ipsum Altare, vel Ecclesia est impedita, vel destructa, vt dictum est, non videtur obligandus Sacerdos, vel Capellanus ad celebrandum alibi, vel per se, vel per alium: nam intentio testatoris erat, vt locus ille, vel ille Sanctus in illo loco honoraretur: vnde si locus omnino impeditus est, nulla Capellani culpa, ad nihil vltra teneri videtur. Alph. Vega. *sum. verbo Missa casu*, 12.

* Sed ego puto, quòd Capellanus, eo casu dato, restituere debeat hæredibus fundatoris reditum Capellaniæ in posterum, si impedimentum est longi & notabilis temporis: nam beneficium

datur

datur propter officium; ideo cessante officio, deberet cessare beneficium. Nisi in institutione dicti Capellani aliquo modo appareret, intentionem fundatoris fuisse, vt eleemosyna illa legata omnino cederet in beneficium Capellani. Sed de hoc *infra hic nu.* 3.

* 2 Si verò fundator legauit Missas in ea Capella, vel Ecclesia celebrandas pro se, & suis defunctis, tunc apparet intentionem principalem legantis esse, vt Missa sibi, ac suis defunctis dicatur, ac deinde ille locus colatur; quare, loco impedito, Sacerdos alibi debet celebrare Vega *loco cit.*

3 Si autem intentio fundatoris circa hoc est dubia, Capellanus alibi pro eo celebrare debet: nam credibile est omnino, fundatorem principaliùs voluisse Missarum fructum sibi, & suis defunctis applicari, quàm loci particularis venerationem: & locus non videtur appositus ad finiendã obligationem. sed ad animarũ salutem. Honcala *opusc. de valore Missæ artic.* 17. *proposit.* 1. **In dubio alibi deberet celebrare.**

Azor.

Azor. *tom.* 1. *li.* 20. *cap* 29. *q.* 8. Graff. *dec. aur. part.* 1. *lib.* 2. *ca.* 53. *nu.* 12. & *Consil. tom.* 1. *lib.* 3. *de iure patron. cõs. vn. nu.* 13. & *tom.* 2. *lib.* 3. *de præb. difficult.* 4. *num.* 5. & 6. Ricc. *prax. edit.* 2. *decis.* 342. Barbosa *de off. & pot. Epist. p.* 2. *allegat.* 24. *nu.* 33.

Impedito Altari, in alio eiusdē Ecclesiæ celebrandū.

§. XII. In eadem tamen Ecclesia, Altari impedito, si fieri potest, propter testatoris deuotionem celebrandum est, donec Altare construatur, vel reparetur M. Ant. Gen. *man. pastor. ca.* 72. *n.* 4. *vers. Quarto quæritur*, Barb. *loc. cit.*

Capellanus infirmus ad quid teneatur.

§. XIII. Infirmitate verò præpeditus Capellanus, post octo, aut decem dies, vel circiter, per alium celebrare tenetur: nam quod est datum ob caussam, reperitur, si ex infirmitate recipientis nō potuit adimpleri, *l. si pecuniam. in principio ff. de conditione, caussa data.* Sed stipendia Capellaniæ dantur principaliter propter celebrationem Missarum, secundariò autem ad sustentationem Sacerdotum pro tempore, quo celebrant Missas: ergo tempore infirmitatis per alium Sacerdotem sunt

sunt Missæ dicendæ. Petr: Nau. *de rest. lib. 2. cap. nu. 2. 210.* Graff. *consil. to. 2. lib. 3 de preben. cons. 1. diffic. 2. nu. 4. & seqq.* Prax. Archiep. Neapolit. *cap. 56. vel 57.* Ricc. *dec. cur. Archiepisc.* Neapol. *par. 2. dec. 220. & prax. edit. 2. decis. 340.* Campan. *diuersor. iur. rubr. 7. c. 6. nu. 15.* Barbosa *de off. & pot. Epi. par. 2. alleg. 24. nu. 31.*

* Et si in fundatione Capellaniæ statuatur, vt Sacerdos incidens in infirmitatem, per alium suppleat , neque per decem prædictos dies eximitur à celebratione per alium ; cùm intentio fundatoris expresè appareat de non interrupta Missarum celebratione.

* §. XIV. At si Sacerdos iusta de caussa abest à loco, vbi celebrandum est, vel quia est Concionator , & alibi officium Prædicationis exercet; vel in aliqua Vniuersitate literis incumbit; si celebrat in loco, vbi est, non satisfacit: nam voluntas testatoris ad vnguem adimplenda est in forma specifica. *in leg. si quis ad declin. numero 9. & C. de Episcop. cler.* Nauar. *de orat. capit. 5. nume-*

Absens, quo satisfaciat.

numero 3.*&* 12.*&* 13. Roderic.*sum.tomo* 4.*cap.*51.*conc.*5. Alphon. Vega *sum. Verbo Missa casu.*5.

Obligatus an satisfaciat per alium.

* §. XV. Sacerdos autem qui simplici beneficio cum onere Missarum gaudet, vel Altari, aut Capellæ obligatur ad celebrandum, si absens est, vel alio detinetur, impedimento; potest aliquem Sacerdotem substituere, & oneri suo Missarum per alium satisfacere: quãuis in institutione Capellaniæ dicatur, q Capellanus celebret.

*1 Tum quia qui per alium facit, per seipsum facere censetur.

* 2 Tum quia illa verba institutionis Capellani, Qui celebret tot Missas. &c. non respiciunt factum ipsum celebrationis ab ipsomet Capellano, neque obligationem Sacerdotis: sed potiùs posita sunt ad denotandũ onus quod fundator Capellæ imponebat. Ita decisum esse à Rota Romana, teste Hieronymo Gonzalez *comment. ad reg.* 8.*cancell.glos.*5.*num.* 77. referunt Stephanus Quaranta *summar.Bullar. verbo serui*

Decisio Rotæ Rom.

ruitium Capellaniæ, & Ricc. *decis. part. 2. cis 220. à num. 3. & inf.* Et decisionem Congregationis Concilij extensam fert Campanilis *diuersor. iur. rubr. 7. c. num. 13.* vbi habentur hæc verba: *Sed io ad celebrationem Missæ, posse etiam per ium huic oneri satisfacere.* Decisio S. Cong. Cõcilii.

* 3 Tum ex consuetudine vniersali, qua omnes vtuntur: vt asserit Campanilis *vbi sup.* qui multos citat Iurisperitos; ideo fundator semper cenetur velle se conformare cum dispositione vniuersalis consuetudinis. Ricc. *bi sup. num. 7. & 8.*

* Et Episcopus non potest dictum Sacerdotem compellere, vt ipsemet celebret per se ipsum, cum rectè per alium substitutum satisfacere posit. Ita decisum esse à S. Congregatione Concilij referunt. Steph. quarant. Decisio S. Cong. Cõcilii. *summar. Bullar. vbi supra* & Paul. Piasec. *prax. Episc. part. 2. cap. 3. num. 33.* his verbis: *Episcopus non potest compellere obtinentem Capellam, vt ipsemet celebret; licèt in eius fundatione disponatur, quod*

Capel-

Capellani celebrent: nam istis oneribus Mis-*sarum rectè per substitutum satisfit.* Vgolin. *de off. & pot.* Epi. *cap.* 50. § 8. *num.* 5. Sà ver-*bo beneficium numer.* 28. Ricc. *loco cit.* Gar-cia *de benef. par.* 7. *cap.* 1. *à num.* 85. *& in* Bonac. *Sacr. disp* 4. *q. vlt. punc.* 7. § 1. n. Barb. *de off. & pot.* Epi. *p.* 2. *alleg.* 24. *n.* 1

* 5 Idoneum autem substitu-tum ab ipso Capellano deputari non posse; sed ab episcopo substitui debere docuit Riccius. *prax. edit.* 2. deci. 340. argumento à Rectore Paro-cho infirmo, qui non potest depu-tare Vicarium; sed munus deputandi pertinet ad Episcopum. Sed hoc non videtur conuincere, quia non est ea-dem ratio de substitutione Capellani & Vicarij Parochi: Capellanus n. Mis. tantummodo celebrare tenetur; & id-eo, nisi obstet præceptum de non cele-brando, poterit sine Episcopo deputa-ri. Vicarius autem Parochi à solo Epi-scopo substitui debet Parocho infirmo quia Vicarius huiusmodi præter onus celebrationis Missæ, onus curæ anima-rum subire debet.

Substituere Capellanū quis possit.

* 6 Verum est tamen, quod si in institutione Capellaniæ expresse disponatur, vt Capellanus per se ipsum celebret, tunc per alium substitutum satisfacere nequit: cùm enim hæc verba exploratam disponentis voluntatem ostendant, interpretandi ratio cessat. Vgolin. Campanil. Barbosa *locis sup. citatis*. Et idem habetur in decisione prædictæ S. Congregationis Concilij apud Campanilem his verbis; *Nisi fundationi, præter expressa, insint alia verba, quæ significent, vt per seipsum id muneris explicet.* Decisio S. Cong. Cōcilii.

* 7 Denique si in institutione Capellaniæ imponitur Capellano, vt vltra Missarum celebrationem, habeat onus adiuuandi Curatum in cantando, & in alijs similibus; vel vt assistat, & resideat in Choro, tunc censetur iniunctum seruitium personale, [illegible] solum Chori, sed etiam Missar[illegible] non [illegible]um. In quo casu non licebit per [illegible] substitutum satisfacere. Garcia *vbi* [illegible] *cap. nu.* 89. Perez de Lara *de Anniuer*[illegible]*. & Capell. lib. 2. cap. 7. n. 6.*

Cantans Missam an satisfaciat oneri particulari.

* §. XVI. Si vero Sacerdos, seu Capellanus sit impeditus, quia cantat Missam maiorem, quam Conuentualem, seu Capitularem appellant: & eam applicet ei, pro quo celebrare debebat, non videtur suæ obligationi satisfacere: nam cantans Missam conuentualem, communiter & absolutè loquendo, debet Missam applicare iuxta Conuentus, aut Capituli obligationem. Habetur enim *in c. cum creatura. de celebr. Miss.* quòd in Ecclesijs Collegiatis, occasione funerum, duæ Missæ debent celebrari; altera secundùm officium diei, altera de mortuis: quod non videretur imponendum esse, si Missa conuentualis alicui particulari, siue illi defuncto, de quo funus celebratur, applicari posset, & non oneribus, & obligationibus Capituli. Suar. *disp.* 80 *sect.* 2. Reginald. *lib.* 29. *nu.* 168. Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *q. vlt, punc.* 7. §. 2. *nu.* 7. Raguc. *de Missa q.* 44.

* At si est dubium, an cantans Missam in aliqua Ecclesia Collegiata te-

teneatur applicare oneribus Capituli, tunc eam Missam potest ad libitum applicare; quia in dubio, melior est conditio possidentis suam libertatem. Suar. *disput. 86. sect. 1. versu. S. d. circa primum.* Bonac. *vbi sup.*

* §. XVII. Si autem beneficiarius, siue Capellanus, qui iam per decennium semel, aut bis in hebdomada celebrauit, & postea aduertit, non fuisse id oneris à fundatore sibi expresse impositum; cum in Bullis Capellaniæ, seu beneficij de aliquo particulari onere non constet; sed in genere facta est collatio cum honoribus, & oneribus: dubitari legitimè poterit, an prædictus beneficiarius, vel Capellanus propter decennalē celebrationē teneatur in futurum eodē modo celebrare. Prescriptio decennalis an obliget in futurū.

* 1 *Respondetur affirmatiuè*, quia fauore Ecclesiæ & piæ caussæ laudabilis consuetudo decennalis obligat in futurum. *cap. ad apostolicam. de simonia.* Ex quo à Doctoribus elicitur conclusio, q̃ fauore piȩ caussæ tempus est mo-

 dus

dus inducendi obligationem.

* 2 *Neque obstat*, quòd quando agitur de obligando aliquem ad seruitium personale, requiruntur triginta anni ad obligationem in futurum inducendam; vt notarunt Bald. Ias. Alciat. & omnes Doctores *in l. si certis annis C. de pactis*. Seruitium autem in Altari & celebrandi Missas est obligatio personalis.

* *Respondetur* enim, quòd Doctores *in loco citato* intelligunt requiri triginta annos, quando agitur de seruitute vassallagij, vel subiectionis cum graui præiudicio, & subiectione personæ. Celebratio autem Missarum aliquibus diebus in hebdomada non inducit aliquam seruitutem: sed onus quoddam quod per alios etiam vt plurimùm sustineri potest; vt supra dictum est, §. M. Anton. Genuens. *de Eccles. tricenar.* *qu.* 390. Fauet, Guttier. *canon. qq. lib.* *cap.* 22. *num.* 151. *Io.* Franc. Leo *thesau fo. ecclesiast. par.* 2. *cap.* 11. *num.* 43. Pere. de Lara *de Anniuers. & Capellan. lib.* 1. *cap.*

12. nu.

n.numer. 25. Homob. *exam. ecclesiast. tom.* 2. *tract.* 9. *ca.* 10. *quæst.* 28.

* §. XVIII. Eodem modo dicendũ est, quòd si testator aliquid legauit Ecclesiæ vel Sacerdoti, vt per vnum integrum annum Missa dicatur pro anima sua, ex vi eiusmodi Legati Sacerdos tenetur celebrare prædictam Missam quolibet die illius anni; licèt in testamento mentio facta non sit de singulis diebus; sed solùm per vnum annum.

Legans Missam per vnũ annũ an obliget quotidie.

* 1 Tum quia Legatum in Dei honorem, & ad pias caussas largè interpretari debet, & ad id, quod maius est, extendendum. Bartol. & Doctores *in l. Titia, §. Seia, ff. de aur. & argum. legat.* Sed legatum dictæ Missæ est in honorem Dei, vt patet; & pro anima ipsius testatoris, quæ cunctis rebus anteponi debet, *l. sancimus. C. de sacrosan. ecclesi. cap. cùm infirmitas. de pœnit. & remission.* Ergo de Missa quotidiana vnius anni intelligi debet.

* 2 Tum quia testator in dicto lega-

legato indefinitè locutus est, vt per vnum annum dicatur Missa pro anima sua. At locutio indefinita æquiualet vniuersali: *ex cap. vt circa. de elect. in 6. Megal. conf. 27.*

Obligatus ad Miss. ter, vel quater in hebdom. an celebrat dieb. festis.

* §. XIX. Sed quando institutio Capellaniæ obligat Sacerdotem, vt ter, vel quater in hebdomada celebret, an satisfacere possit si Missam dicat Ferialibus tantùm diebus: vel etiam Dominicis diebus, aut alijs Festis sacrificare debeat, *distinguendum est.*

* 1 Si fundatio Capellaniæ est in Ecclesia alicuius loci, vbi nulla alia dicitur Missa, & de mente institutoris apertè non constat, præsumi potest, Sacerdotem obligari ad Missam dicendam diebus Festis. Nam probabile est, fundatorem non solùm sibi voluisse beneficium instituere; sed etiam consulere habitatoribus dicti loci, vt scilicet possent præcepto de audienda Missa diebus Festis satisfacere.

* 2 Si verò fundatio sit in Eccle-

sia, &

ſia, & loco, vbi alij ſunt Sacerdotes, poterit ſatisfacere, ſi celebrauerit diebus ferialibus tantùm. Cùm enim voluntati inſtitutoris Capellæ ſatisfecerit, qui abſolutè voluit tres, aut quatuor Miſſas in hebdomada, ad nil aliud obligatur. Ita Bonacina *de Sacram. diſputation. 4. quæſtion. vltim. punct. 7. §. 5. nu. 5.* ex Congregatione Pœnitentiariæ Mediolanenſis; vt videri poteſt *infra ſect. 5. in ſummario Deciſionum dictæ Congregat. num. 22.*

Obligatus in diebus feſtis non ſatisfacit in diebus officii duplicis.

* §. XX. Si autem obligatio Capellaniæ eſt, vt Sacerdos celebret ſingulis diebus Dominicis, & bis in hebdomada, ſed præcipuè Feſtis diebus; obligationi ſuæ non ſatisfacit, ſi in hebdomada, in qua occurrunt Feſti dies, celebrat ſolùm illis diebus, in quib. Officium eſt duplex, vel ſemiduplex; nam celebrare debet illis diebus Feſtis, qui ex præcepto Eccleſiæ, vel ex loci conſuetudine ſeruantur. Facilè enim exiſtimari poteſt, fundatorem voluiſſe ſuo populo commoditatem

præbere audiendi ſacrum in diebus Feſtis ex præcepto.

* Præter quàm quòd verba ſunt accipienda iuxta communem vſum loquendi; communiter autem loquendo, illi ſunt dies Feſti, qui ex præcepto Eccleſiæ, vel ex loci conſuetudine celebrantur; non illi, in quibus dicitur officium duplex, vel ſemi duplex. Idem Bonacina *loco citato ex eadem Congregatione: vt infra in ſummar. deciſ. eiuſdem, num. 23.*

Quotidianæ Miſſæ non oblig. tres Miſſas in die Natalis Domini.

* §. XXI, Quotidianæ Miſſæ, vel ad celebrandum in diebus Feſtis obligatus Sacerdos an teneatur in die Natiuitatis Domini omnes tres Miſſas applicare inſtitutori Miſſarum, *partem negatiuam ſuſtinendam eſſe arbitror.*

* 1 Tum quia inſtitutio Miſſæ huiuſmodi nihil aliud imponit, quàm quod Sacerdos quotidie, vel in omnibus Feſtis diebus celebret; ſed qui in die Natiuitatis Domini vnam Miſſam applicat inſtitutori, celebrat in illo die; ergo vna Miſſa inſtitutori ſatisfecit.

* 2

* 2 Tum quia nullus Sacerdos, nec etiam Parochus, tenetur de præcepto tres Missas dicere in die Natalis, cùm ad id nullo iure obligetur, sed tantum de consilio, siue ex priuilegio, quo liberè vti, vel non vti potest. Nau. *consil. tom. 1. l. 3. de celebr.* Missar. *cons.* 1. *ad* 1. *dubit.* Roderic. *sum. tom.* 1. *c.* 247. *conc.* 5. Barthol. ab Angel. *dial.* 5. §. 218. Nald. *sum. verbo Missa. num.* 15. Ergo neque tres Missas applicare tenebitur.

* Et dato quòd Parochus debet tres illas Missas dicere, ne fideles debita deuotione fraudaret: quia ferè omnes volunt eo die tres Missas audire: atque vt periculum scãdali euitet: *vt volunt* Henriq. *libro* 9. *cap.* 25. *numero primo*, Mirand. *man. prælat. tomo.* 1. *quæst.* 40. *art.* 8. Bonac. de *Sacram. disput.* 4. *q. vlt. pũct.* 11. *proposit. n.* 10. non tamen tenebitur omnes tres Missas alijs applicare, vt dictum est.

* 3 Tum quia valde conueniens est, vt Sacerdos, qui per totum annum pro alio celebrauit, & applicauit, in tali

ac tanto die vnam Missam possit sibi, aut parentibus aut carissimo amico, vel benefactori applicare.

* §. XXII. An verò Sacerdos Missæ quotidianæ addictus, possit in die solemni Commemorationis omnium fidelium Defunctorum applicare fundatori; aut si liber est ab obligatione celebrandi, possit pro aliquo particulari Missam dicere; vel potiùs debeat pro omnibus Defunctis in communi sacrificium offerre, nullus Doctorum, quos viderim, determinat; neque tractat de hac re, nisi Pater Alphonsus de Leone *de off. & pot. Confessar. temp. Iubil. par. 3. num. 21. id finem.* qui attigit hanc difficultatem, & putauit, Sacerdotem in illo die posse ad libitum applicare. Cui Auctori maximè deferendum est, cùm singularis doctrinæ sit, ac pietatis. Sed ego libentiùs existimarem, ac tenendum arbitrarer, Sacerdotem in dicta die Commemorationis omnium Defunctorum, non

In die Animarum pro omnibus defunctis celebrare debet.

pro

pro aliquo defuncto particulari : sed pro omnibus defunctis in Purgatorio existentibus vniuersaliter celebrare debere: puto enim, Ecclesiam sic instituisse, & velle.

* 1 Ratio à simili deduci potest: Ecclesia sicut instituit Festiuitatem Omnium Sanctorum die prima Nouembris , ita sequenti die solemnem Commemorationem omnium fidelium defunctorum: vt notum est. At Sacerdos in die Omnium Sanctorum debet de Omnibus Sanctis : non de aliquo Sancto particulari Missam dicere; ergo in die Omnium defunctorum, non pro aliquo particulari, sed pro omnibus fidelibus defunctis generaliter celebrare debebit.

* 2 Deinde, cùm Sancti in Cœlo sint innumerabiles, atque de eis singulariter, & singillatim festiuitatem aliquam Ecclesia celebrare non possit: ideo vniuersalem Omnium Sanctorum celebritatē instituit: vt saltē eo die Sanctos Omnes in vniuersum , nemine ex- *Omnium sanctorum solemnitas cur celebratur.*

ne excepto, celebremus, laudemus, eorumq; impetremus auxilium: vt benè tradiderunt Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum *lib.10.cap.1.* Alphonſus Villegas, & Petrus Ribadeneria *in Flor. Sanctor. prima die Nou.* At animæ defunctorum, in Purgatorio exiſtentium, in maximo ſunt numero, & pro eis ſingillatim toto anni curſu non celebratur: cum multæ iam obliuione inuoluantur, vel nullos habeant in hac vita, qui eis Miſſas procurent, vel procurare poſſint: ergo credibile eſt, & apprimè probabile Eccleſiam inſtituiſſe Commemorationem Omnium defunctorum, vt pro omnibus defunctis in vniuerſum, non pro particularibus Miſſa dicatur.

Commemoratio Omniũ defunctorum cur fiat.

* 3 Idcirco Petrus de Natalibus *vbi ſupra capit.* 8. de Commemoratione omnium mortuorum ſic ſcribit: *Commemoratio omnium fidelium defunctorum ſequenti die à Feſto Omnium Sanctorum fieri ab Eccleſia inſtituta eſt, vt generalibus aliquando ſuffragijs adiuuentur, qui ſpe-*

cia-

cialia habere non possunt. Quæ verba ex diuina reuelatione pręcisè sumpsit, quã retulerat *ibidem capit. 1. de Festiuitate omnium Sanctorum in calce.*

* 4 Quamobrem si Sacerdotes illo die ad libitum celebrare, & applicare possent pro mortuis, celebrarent profectò quidem pro parentibus, pro amicis, vel pro benefactoribus, aut etiam stipendio pro alijs particularibus; & ita animæ defunctorum, quæ suffragia specialia habere non possunt, generalibus non fruerentur: quod Ecclesiæ institutioni repugnaret.

* 5 Tandem verba Ecclesiæ idem confirmant, quæ in Missali, & in Breuiario die secunda Nouembris habetur. *Commemoratio omnium fidelium defunctorum.* Et in Missali, vbi ponuntur Missæ pro defunctis, titulus primæ Missæ sic legitur: *Missa in Commemoratione Omnium fidelium Defunctorum.* Itaque non inscribitur ille dies, vel illa Missa, Commemoratio Defunctorum, seu Missa in die, vel in Commemoratione

defunctorum; sed omnium fidelium defunctorum: & in Collecta prædicta Missæ dicitur, *famulorum, famularumque tuarum.* Ergo videtur intentionem esse Ecclesiæ, vt Sacerdotes eo die, non ad libitum pro particularibus defunctis, sed generaliter pro omnibus defunctis Missæ offerant sacrificium.

Capellanus Monialium an possit dicere suorũ Ordinum proprias Missas.

* §. XXIII. *Dubitari etiam sæpenumero contingit*, an Sacerdos Secularis, Capellanus Ecclesiæ Monialium Regularium, sub iurisdictione Reuerendiss. Ordinarij immediatè degentium; Missas proprias occurrentium Festorum, & Sanctorum Ord. dictarum Monialium dicere possit, quamuis illæ Missæ non sint in Missali Romano; cuius ritu, & regulis seculares Sacerdotes celebrare tenentur.

* *Affirmatiuè, sæpe consultus, respondendum esse putabam*: dummodo Sacerdos secularis Missas proprias prædictas iuxta ritum, formam, regulas, & Rubricas Missalis Romani celebret.

* 1 Nam quotiescunque à S. Sede Apostolica alicui Ordini Regularium conceditur priuilegium celebrandi aliqua Officia propria Sanctorum, & Festiuitatum: id non solùm conceditur Patribus, aut Fratribus, siue Monachis; sed etiam Monialibus dictorum Ordinum. In Bulla enim Clementis VIII. confirmationis Bullæ Sixti IV. & Clementis VII. de Festo Sanctissimi Nominis Iesu conceditur, vt in toto Ordine Fratrum Minorum & Sororum S. Claræ die 14. Ianuarij solemniter celebrari possit. Quæ Bulla extensa habetur apud Rodericum *qq.regul.tom.2.q.68.art.2.* Et alia similia priuilegia, & Bullæ Sanctorum, & festiuitatum Ordinũ Regularium eiusdem tenoris, & concessionis ponuntur ibidem in sequentibus articulis dictæ Quæstionis. Et per aliam Bullam Clementis VIII. datam Romæ die 5. Martij 1596. idem Festum S. Nominis Iesu cũ alijs Officijs cõceditur omnibus, & singulis Fratribus, & Moniales

libus Ordinis Eremitarum S. Augustini. Et idem dicendum de alijs concessionibus eiusmodi: de quo nulla est dubitatio.

Officij nomine intelliguntur Horæ canonicæ & Missa.

* Sed nomine officij alicuius festi, vel Sancti, non intelliguntur solum Horæ canonicæ; sed etiam Missa: vt constat ex ijs Scriptoribus, qui de diuinis, siue de Ecclesiasticis officijs egerunt; vbi sub titulo de diuinis Officijs, non solum de Horis canonicis, & de alijs ritibus Ecclesiasticis; sed etiam de Missa pertractant; vt Isidorus *de ecclesiast. offi. libro* 1. *capit*. 15. *&* 18. Alcuinus *de offic. diu. pag. mihi* 67. Amalar. *tit. eo, lib.* 1. *cap*. 31. *&* 41. *& libro tertio, per tot.* Rupert. *titulo eodem libro* 1. *&* 2. *per tot.* Raban. *de institution. clericor. libro* 1. *qui inscribit caput.* 32. *de officio Missæ; & alij.*

* Ergo in Ecclesijs Monialium, non solum Horæ canonicæ; sed etiam Missæ propriæ de eorum Festiuitatibus, & Sanctis ex Summorum Pontificum priuilegijs sibi concessis celebrari

brari possunt.

* Sed ipsæ Moniales per seipsas non celebrant; ergo suarum Ecclesiarum Capellani eas Missas poterunt celebrare.

* 2 Præterea, in Ecclesijs collegiatis Missam conuentualiter celebrari debere de Festo, aut de Feria secundum temporum congruentiam, præcipitur *in cap. cum creatura, de celebrat. Missarum*: sed Ecclesiæ Religiosorum, & Religiosarum sunt Collegiatæ quia Glosa, & Abbas *in dict. capit. cum creatura.* collegiatas Ecclesias vocant Ecclesias conuentuales; ergo in Ecclesijs Regularium, etiam Monialium, Missa conuentualis de Festis occurrentibus celebrari debet. Rodericus *quæstionum regularium to. 3. quæst. 6. artic. 7. ex* Angel. *verbo Missa num. 33. &* Syluest. *Missa 1. quæstione* 4. Sed in Ecclesijs Monialium occurrunt Festiuitates propriæ; vt manifestum est; ergo Missa conuentualis de Festis propriis ibi occurrentibus celebrari poterit à Capellanis earũ

Missa conuentualis in Eccles. Collegiatis.

* 3 Ampliùs, dum Moniales Regulares iuriſdictioni Reuerendiſſ. Ordinarij immediatè ſubijciuntur, earum inſtitutum, & Regula, à Sancta ſede Apoſtolica confirmata ſub qua viuunt; non immutatur aliqua ex parte; neque ſuorum Ordinum indulta, & priuilegia amittunt; vt patet. Sed inter priuilegia Regularia in omni Ordine ſunt particularia, & propria officia Feſtiuitatum & Sanctorum, quo ad Horas canonicas & Miſſas, vt dictum eſt: ergo priuilegium Miſſarum propriarum Sanctorum, Ordinum ſuorum; eis derogari non debet; ſed ipſæ Miſſæ propriæ à Sacerdotibus ſecularibus ſuis Capellanis poterunt celebrari.

* 4 Neque *obſtat*, quòd Miſſæ Sanctorum, & Feſtiuitatum huiuſmodi; ſunt propriæ Regularium; non ſecularium Sacerdotum.

Reſpondetur enim, eſſe quidem proprias Regularium, ſed non ſolùm perſonarum, ſed etiam Eccleſiarum. Ideò

cum

cùm Sacerdotes ſeculares inſeruiant Eccleſijs Monialium Regularium, poterunt Miſſas proprias dictarum Eccleſiarum celebrare.

Et quamuis Sacerdotes ſeculares, abſolutè loquendo, vti non poſſint officio Miſſæ proprio alicuius Ordinis Regularium: vt Sacerdotes tamen Eccleſiarum Monialium, in quibus alio modo Miſſæ propriæ nequeunt celebrari, eas dicere poterunt.

* 5 Quemadmodum enim Sacerdos, dum in ſua Eccleſia non ſit de aliquo feſto ex Breuiario Romano, ſed de Feria, ſi in alia Eccleſia celebret, vbi de aliquo Sancto ſolemniter agitur, Miſſam ibi licitè dicere poteſt ſolemniter de illo Sancto cum Gloria in excelſis, & credo: non quidem ex communi ritu Breuiarij, & Miſſalis Romani; ſed ex particulari priuilegio illius Eccleſiæ: ita Sacerdos ſecularis inſeruiens eccleſiæ Regulari Monialium,

poteſt

poteſt celebrare de Feſtis ibi occurrentibus Miſſas proprias, ex priuilegiis iuſdem Eccleſiæ: quamuis aliàs eas Miſſas celebrare non deberet.

* Quæ dicta ſint, vt aliquid luminis in tenebris huius difficultatis habeatur; nam veriori, & meliori ſententiæ libentiſſimè ſubſcribam, & S. Eccleſiæ determinationem humiliter excipiam, reuerebor, & colam.

Si reditus Capellaniç eſt exiguus, quid agendum.

* §. XXIV. Verum ſi reditus pro obligatis Miſſis, vel Capellania, ſit exiguus: vt exempli gratia Teſtator triginta argenteos, ſeu Iulios annuos alicui Eccleſiæ, vel Capellæ reliquit, vt ſexaginta Miſſæ pro eius anima ſingulis annis dicantur; cùm tempore mortis eius, iuſtum pro Miſſa ſtipendium eſſet medius argenteus, aut Iulius: ſed accidit curſu temporis, vt Superioris lege, vel conſuetudine iuſtum ſtipendium factum eſt valoris integri argentei, ſeu Iulii; debent ne Miſſæ reduci ad triginta (ab habente tamen facultatem) ſecundùm rationem iuſti ſtipendii

nunc

nunc currentis, an tenetur hæres stipendium ad sexaginta argenteos, aut Iulios supplere?

* 1 Hanc mouet quæstionem Marcus Antonius Genuensis *tract. de Eccles. Tricenar. 6. quæst.* 179. & resoluit, Missas non esse minuendas; sed hæredem debere stipendium conueniens adiungere, data capacitate hæreditatis. Nonnullas adducit rationes, quarum præcipua est ex regula quadam, quæ multum valet, maximè in dispositionibus ad pias caussas, videlicet, quòd si testator cogitasset, aut fuisset interrogatus de hac re, ita vero similiter disposuisset; tunc enim à lege fit interpretatio, quod hoc subintelligatur. Sed testator in casu proposito pecuniam reliquit pro tot Missis dicendis pro anima sua eo tempore, quo minus dabatur stipendium; & si præuidisset augmentum stipendij, non diminuisset numerum Missarum, sed stipem auxisset. data capacitate hæreditatis; cùm anima cunctis bonis

An stipendiũ ab hæredib. augendum.

præ-

præferatur Ergo nunc ita iudicãdũ eſt.

Miſſæ minuendæ.

* 2 Quæ quidem ſententia eximia eſt ſpeculatiuè, & pulchra, & Eccleſiis, & Sacerdotibus valde plauſibilis; ſed practicè multum haberet difficultatis. Nam omnes hæredes antiquorum Legatorum pro dicendis Miſſis, quæ longè minori ſtipendio dicio-lim cõſueuerant, quã fiat in præſenti; vt maiora ſtipẽdia ſoluerẽt: & Eccleſiæ, ac Sacerdotes pinguiorẽ eiuſmodi eleemoſynã exigerẽt, odioſis litibus, & fortaſſe perpetuis angerentur: nõ mediocri animorũ inquietudine, ac ſtrepitu.

A Conc. Trid.

* 3 Præterea, vana eſſet prouiſio Sancti Concilii Tridentini *ſeſſione vigeſimaquinta, de reformatione capitulo quarto*; vbi cum ſæpius contingeret, vt in quibuſdam Eccleſijs eleemoſyna pro celebrandis Miſſis olim impoſita, adeò tenuis euaſiſſet, vt non facilè inueniretur, qui vellet ei ſe muneri ſubiicere & ideo deperirent piæ teſtantium voluntates; ſanctiſſimè ſtatuit, quod ab Epiſcopis, vel à Generalibus Regula-

rium;

rium; non vt ab hæredibus maiora, & conuenientia stipendia exquirerentur; sed vt numerus Missarum restringi, & minui possit.

A praxi.

* 4 Ad hæc, regula illa iuris, quæ fundamentum est prioris sententiæ, in praxi parum seruari consueuit: nam testantes in legandis Missis pro se dicendis, minora stipendia, quàm consuetudo, aut lex præscribit, assignare olim nitebantur, & nituntur, ne grauarent hæredes: vt longa experientia docet: adiunctis etiam alijs fauorabilibus conditionibus, vt hæredes possint pro legatis Missis assignare Ecclesiæ, vel Monasterio tantam pecuniæ quantitatem, quæ à dicta Ecclesia, vel Monasterio in bonis immobilibus fundari debeat; ne ipsi hæredes annuatim prædicta stipendia soluere teneantur; atque inde à grauamine liberentur: tantum abest, vt præsumere possimus, mentem testatorum fuisse, vt aucto, cursu temporis, Missæ stipendio, hæredes ad maiora stipendia obligarentur,

* 5

A simili. * 5 Amplius, ipse Genuensis *tract. citato, tricenar.* 8. *q.* 229. docuerat, quod si res legata Ecclesiæ cum onere Missarum, cursu temporis augeatur, onus & numerum Missarum debere etiam augeri. Ergo vice versa nobis dicendum erit, quòd si res, & stipendia legata pro onere Missarum cursu temporis minuuntur, Missarum onus minuendum esse: non quidem priuata Sacerdotum auctoritate; sed ab Episcopis in Synodis, vel à Prælatis Regularium in Capitulis Generalibus; & si onera Missarum sint in fundatione, vel post Concilium Tridentinum imposita, à Summo Pontifice reduci possunt; vt infra latius explicandum est *sect.* 7. *de Remedijs* §. 5. *& seqq.*

Aucta re legata, an augeantur Missæ. * §. XXV. Vtrùm autem opinio Genuensis, quod aucta re legata Ecclesiæ pro dicendis Missis, augeri debeat numerus Missarum, sit vera, & ab omnibus complectenda?

* 1 *Distinguendum est primò.* Si res legata crescit, & stipendium lege, aut con-

consuetudine non augetur; sed nunc idem iustum stipendium, quod tempore institutionis Legati erat iustum, videtur quod numerus Missarum sit multiplicandus. Si verò res legata crescit, & etiam iustum stipendium crescit propter maiores expensas, vel maius rerum pretium, Missæ non sunt augendæ; quia debita proportio est inter augmentum rei legatæ, & iusti stipendii. Roderic. *sum. tom. 4. cap. 12. de Missa num. & conc. 10. ex Romano cons. 369. numer. 31.*

* 2 *Distinguendum est secundò.* Rem legatam esse auctam, dupliciter euenire potest; vel expensis, industria, & labore Sacerdotum Ecclesiæ: vel casu aliquo fortuito.

* Si augmentum accidit primo modo, non videtur, quòd Missæ augendæ sint; quia res aucta est, non ex re simpliciter, sed ex labore, & expensis. Ideo augmentum est præmium laboris, & expensarum in re aucta: non autẽ obligationem maioris oneris inducit.

* Si res augeatur secundo modo videlicet, si prædium aliquod valoris respondentis iusto, & rationabili stipendio pro Missis obligatis, vicinum esset flumini: & à suis terminis recedente flumine, prædium cursu temporis fiat pretij maioris; tunc iterum distinguendum est (vt benè distinguit ipse Genuensis) quòd si augmentum est modicum, non augeatur onus, quia de modicis non est curandum. Si verò augmentum est magnum, & notabile, maius debet imponi seruitium.

A iure. * 3 Probatur ex textu *cap. fin. de verbor. signific.* vbi si fructus præbendarum creuerint, debet augmentum conuerti in vtilitatem Ecclesiæ. Vbi Glossa exponit, quòd debeant conuerti, siue expendi in pias caussas. *cap. quia.* 12. q. 1. Sed pia caussa est, quòd augeatur numerus Missarum pro refrigerio animæ ipsius testatoris: ergo aucta re notabiliter pro Missis Ecclesiæ destinata, numerus Missarum augeri debet.

* 4 Deinde, contrariorum eadem est disciplina. text. *in princ. institution. de his, quæ sunt sui, vel alieni iuris*. Et idem operatur oppositum in opposito, quod propositum in proposito. *l. quod in rerum. §. si quid potest. de legat. 1.* Et commodum ab incommodo regulatur. *l. secundùm naturam. ff. de reg. iur.* Sed diminutis stipendijs minuitur onus Missarum; vt supra ex Concilio Trident. ostensum est, §. 24. *num.* 3. Ergo aucta re legata, modo iam exposito, debet numerus Missarum augeri. Perez de Lara *de Anniuersar. & Capel. lib. 1. cap. 15. nu. 18. & 19.* A cõtrario.

* §. XXVI. Similiter si testator alicui prædium legauit, onere imposito, vt ex eo singulis annis tali Ecclesiæ, vel Monasterio tot argenteos, vel Iulios soluat, vt duæ Missæ in perpetuum quotidie pro eius anima celebrentur: successu verò temporis mutatus est valor monetæ; cùm tempore institutionis legati, argenteus, seu Iulius valebat quadraginta quadrantes, & hæredes Monetæ valore aucto, an augendum Missæ stipendium.

 dicti

dicti prædij tot libras , aut aureos ad rationem dicti valoris annuatim Ecclesiæ pro prædictis Missis soluebant; nunc autem argenteus valet sexaginta: & in antiquo, & præsenti tempore argenteus erat iustum Missæ stipendium; poteritne Ecclesia, vel Monasterium procurare restrictionem Missarum ad rationem valoris iusti stipendij ; nunc currentis : vel hæredes prædij admonendi, aut via iuris cogendi , vt annuum reditum soluant ad rationem augmenti monetæ , hoc tempore currentis.

* Respondetur, quod hæredes debent augere pecuniam , donec ad iustum stipendium argentei nunc currentis perueniatur.

* 1 Tum quia sicut valor monetæ excreuit , ita valde probabile est ex quotidiana experientia, quòd valor etiam prædij factus sit auctior; vt si olim locabatur octuaginta aureis, nunc locetur centum; ergo debent soluere secundùm augmentum monetæ. In-

iustum

iustum enim esset, quòd successione, & mutatione temporis augeretur plurimum legatario prędij fructus & vtilitas: legatori autem indies pium Missarum suffragium decresceret.

* 2 Tum quia mens testatoris facilè, & rationabiliter interpretari potest; quòd cum legauerit pro qualibet Missa argenteum, intellexerit cum augmento monetæ: nam prima eius intentio, & finis principalis fuit, vt singulis diebus duæ Missæ dicerentur ex iusto stipendio argentei: secunda verò intentio, siue expressa, siue tacita fuit, obligandi eum, cui prædium legabat, vt congruum stipendium Sacerdotibus celebraturis redderet: & ideo nominauit argenteum pro qualibet Missa: qui enim voluit finem, exigit & medium necessarium ad eum obtinendum. Ex Honcala *opusc. valore Missæ art.* 8.

* §. XXVII. At si hæreditas, aut iura, vnde proueniebant stipendia, in totum sint dissipata, & amissa, eximitur Sacer. ab obligatione, qua tenebatur ad

Amissa re legata cessat obligatio.

ad celebrandum. Nam beneficium datur propter officium: sed beneficium prorsus deperijt: ergo officium cessare debet. Honcala *loco citato art. 7. proposit. 1. in calce.*

* Præterea, idem ius est de toto quoad totum, quod est de parte quoad partem. *l. quæ de tota. ff. de rei vend.* quia pars est eiusdem naturæ, & qualitatis, cuius est totum *l. si grege legato. ff. de l. 1.* Sed diminutis in parte reditibus, in parte diminui potest (legitima facultate) Missarum onus, vt supra dictum est §. 24. Ergo extinctis in totum reditibus, in totum cessabit onus. Perez de Lara *de Anniuers. & Capellan. lib. 1. cap. 25. numero. 8. & 9.*

CONCLVSIO V.

Restitutionis obligatio, quo ad Missarum stipendia.

SAcerdotes cuiuscunque Ecclesiæ, aut Monasterij, beneficio Capellaniæ, vel Curato astricti, aut liberi, qui pro sacrificijs ex stipendio, vel alias promissis, ac debitis non satisfecerunt, & exinde mortaliter peccarunt, ad restitutionem tenentur.

§: 1. Scot.*quodlib*.20.Io.Medin.*de restitut.q*.24.Cord.*lib*.1.*q*.4.*dub*.2.*opin*.2.*in fi*.Honcala *de valore Missæ art*.11. *dicto* 2.Petr.Nauarr.*de rest.lib*.2.*c*.2.*n*.329. Aragon.*de iust.& iu.q*.85.*art*.3.*dub.de eo, qui ad idem sacrificium vni debitum alios admittit, dicto* 2.Graff.*dec.aur.par*.1.*l*.2.*c*.45.*n*.19.Rod.*sum.par*.1.*c*.151. *conc*.4. Alphon. Madrig. *tract. de Parochis*. Vasq.*tom*.3.*in* 3.*p.disp*.231.*cap*. 4. Philiarc.*de offi.Sacerd.tom*.1.*par*.1.*li*.2.*c*.14.*ibi. Concludamus igitur*. Io. Bapt. Constant. *de off.Rector.cur.par*.3.*tit.cap*.8.Homob. *de exam.Ecclesiast.par*.1,*tract*.4.*cap*. 13.*q*.121.Bonacina de *Sacram.disput*.4.*quæst. vlt.punct*.7.§.2.*numero* 9.*& punct*. 8.*proposit*.1.*num*.4. Raguc. *de Missa quæst*. 72. Georg. Polac. *de carem. Missæ numero* xvij.*aphor*.7. Barbosa *de off. & pot.Episc. parte* 2.*allegat*.24.*numer*.8. Ang.Vant. *discipl. cleric. de valore Missæ pag*. 142. Alphon.de Leo.*de off*. & *pot.Confessa.temp. Iubil.par*.3.*num*.16.Ragund.*de præc.eccles. lib*.3,*cap*,2.*nu*.9.

1 Nam fraudem, dolum, & furtum

committunt, dum ſtipendia accipiunt, & Miſſas promittunt, & promiſſum non ſoluunt. Graf. *loco citato*.

Qui modica furatur, reſtituere debet.

2 Deinde, ex ſupradictis, aut debent promiſſionem obſeruare, aut ſtipendia contra voluntatem dantium retinere. Ergo iniuſtitiam committunt: ergo aut celebrare, aut reſtituere debent. Vaſq. *vbi ſup.*

3 Præterea, qui modica à diuerſis furatur, & inde magnam ſibi quantitatem acquirit, tenetur ad reſtitutionem: tum quia illis ſunt rationabiliter inuiti: tum quia apud ſe retinet notabilem quantitatem alienam, quod eſt omnino contra ius naturæ; ergo multo magis in propoſito, cùm omnes hi, qui pro ſacrificio ſtipendia dederunt, ſint rationabiliter inuiti, quòd Sacerdos pro ſui ſuſtentatione, cui iuſtum ſtipendium lege, vel conſuetudine taxatur, ingentem ſibi ſummam acquirat, & retineat; ipſe Sacerdos ex lege naturæ, & ex debita iuſtitia, & æqualitate ſeruanda inter datum & acceptum,

ptum,

ptum, tenetur ad restitutionem eius quod vltra iustum stipendium accepit. Petrus Nauarrus *vbi supra, numero* 332. Aragona *loco supra citato.*

Sacerdos qui differt Missas, restituere debet.

4 Amplius, Sacerdos, qui stipendijs iam receptis, differt notabiliter Missarum celebrationem, peccat mortaliter; vt supra dictũ est *Conc.* 3. § 1. *n.* 2. atque ad restitutionem tenetur, quia viuis beneficia ex sacrificijs non præstat, eorumque vota non soluit: vt si quis eleemosynam accepit ad celebrandum pro impetranda infirmi sanitate, & dilatione Missæ obijt infirmus antequam celebratum sit; licet enim diceretur postea Missa pro eo iam defuncto, prodesset ei quidem quo ad satisfactionem; non autem quo ad impetrationem sanitatis, quam cupiebat petens Missam. Defunctos etiam ex prædicta dilatione ab acerbissimis doloribus debito suffragio non liberat. Cùm autem post dilationem verè Missæ dicuntur, non est restituendum stipendium: sed damnum, quod ex dila-

tione ab acerbiſſimis doloribus debito ſuffragio non liberat. Cùm autem poſt dilationem verè Miſſæ dicuntur, non eſt reſtituendum ſtipendium: ſed damnum, quod ex dilatione contigit, iudicio boni, & prudentis viri reparandum eſt. Ergo multò magis tenetur Sacerdos ad reſtitutionem, qui nullo modo ſatisfecit. Syluestrina *verbo Miſſa prima quæſt*.10 *in fine*. Petr. Nauarr. *loco citato nu*. 366. Nald. *verbo Miſſa num*.11. Bonac. *vbi ſupra punc*. 7. §. 5. *nu*. 2. Homob. *tract*. 4. *c*. 13. *q*. 32.

Fraudatio vnius vel alterius ſtipendii reſtituenda.

§. II. Quod intelligendum eſt etiam, quando Sacerdos fraudaret vnius, vel alterius Miſſæ ſtipendium: quáuis enim ratione paruæ quantitatis non eſſet peccatum mortale furti, eſt tamen peccatum mortale violationis promiſſi, & defraudationis in re graui, videlicet honoris Dei beneficij viuorum, & ſuffragij defunctorum. Petr. Nauarr. *vbi ſupra numer*. 380. Aragon. *loco citato quæſt. de defraudante in vna, vel duabus Miſſis*, Homob. *qu*. 121. Alph. de Leo, *n*. 23.

* Ha-

* Habetur etiam Decretum S. Congregationis Concilij de huiusmodi onere restitutionis; vbi cum præceptum sit, vt tot Missæ à Sacerdotibus celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; subiungitur: alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimo grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur. Quod Decretum videbitur extensum in sequenti sectione cum alijs Decretis, & eorum Declarationibus. Decret. S. Congr. Concilii.

§. III. Capellanus autem, qui nõ celebrat in determinata Ecclesia, vel Altari: sed alibi, secũdũ mẽtẽ, & ad beneficiũ fũdatoris Capellaniæ, nõ obligatur ad aliquid restituẽdũ; nisi aliquod suffragiũ defũctis subtraxerit: quia videlicet si Sacerdos in designato Altari celebrasset, aliqui ad eũ locũ cõuenissent, vt Sacrũ audirẽt, & mortuos precibus aut eleemosynis adiuuissẽt. Tũc enim Sacerdos debet defectũ huiusmodi alijs precibus cõpẽsare. Azor. *instit. mor. par.* Restitutio non celebrantis in determinato loco.

par.1.libr.10.cap.24.quæst.8. Graff. *consilio tom.1.libro 3.de iure patronat.consil.vnico numero 15.*

Modus restituendi.

§. IV. Modus autem restituendi erit, vt ipsi Sacerdotes Missas non dictas celebrent; vel per alios Sacerdotes debitum soluant; vel eis stipendia reddant, qui dederunt, certiores eos facientes de sacrificijs non oblatis, vt ipsi possint per alios Sacerdotes ea dimissa sacrificia procurare. Sic enim tollitur inæqualitas & iniustitia, & damno illato occurritur.

* Præcipuè autem restituenda est pecunia largienti, si Missæ fuerant impositæ pro aliqua obtinenda gratia, quæ non potest ampliùs per celebrationem impetrari; vt quia completum est iam iter, pro quo celebrandum erat: vel iam conclusum est matrimonium, pro quo ineundo procuratum fuerat sacrificium; vt adnotauit Alphon. de Leo. *de off.& pot. Confessarij tempore Iubilei parte tertia versu, Addo quòd si fuerint.*

§. V. Si autem prætermissa Sacrificia essent offerenda, non pro viuis,

neque

neque pro mortuis; sed pro veneratione, & cultu alicuius Ecclesiæ, vel Capellæ, non videtur inconueniens, quòd Sacerdotes in reparationem, vel ornamenta eiusdem Ecclesiæ, vel Capellæ, siue Altaris restituenda stipendia possint expendere. Restitutio pro cultu Ecclesiæ, vel Altaris.

SECTIO V.

COROLLARIVM.

QVibus omnibus rite, & profundè consideratis, Sacerdotes omnes in hoc negotio seriò sibi consulere velle: imò iam consuluisse, putandum est: & sordidam lucri cupiditatem, vt loquitur in hac re Azorius *institutionum moralium par.1 lib.10.cap.29.quæst.9.* deuitare: & planam iniquitatem, quam vocat Petrus Nauarrus *de restitut. lib.2. cap.2.num.367* cauere: & ignorantiam, paucum Dei timorem, apud Rodericum *sum.par.1.c.251.conc.2.* horrere: & teterrimum abusum, ac damnabile lucrum, vt aiunt Illustrissimi Patres Sanctæ

Sanctæ Congregationis Concilij in *suis Decretis de celebratione Missarum*, effugere velint; & summopere animaduertere, quod retulit Marcus Anton. Genuensis *man.pastor.cap.72.num.*1. videlicet: Qui oblationes fidelium fraudant, dicuntur necatores pauperum, infideles, fures, sacrilegi, *cap.quia oblationes* 13. *q*.2. Ac tandem audire putent vocem illam Patrisfamilias in Sacerdotum aures, tanquam tonitru irruentem, & dicentem: *Redde quod debes* : vt rectè meditabatur Cornelius Mussus. *Synod. Bitont, cap. de fidelium legatis*.

Et præterea maximopere perpendendum est, celeberrimos Viros, & integerrimos quidem, & innumeros, vniuersæ doctrinæ supradictæ ex animi sententia, & voce, & scriptis alacriter consentire. Quorum omnium suffragia cùm difficilè sit singullatim recensere, nonnullas saltem decisiones præstantissimæ Congregationis Pœnitentiariæ Mediolanensis hic interserendas curaui: cùm vt tantorum Virorum sententia

tentia Disputatio nostra fulciatur: tùm vt omnibus in aperto sit eodem tempore, & Anno grauissimos Viros Summarium Decisionum suarum edidisse, quo ipse manum calamo admoueram, vt hanc Disputationem contexerem: quàm quidem sub initio eiusdem anni peregi; nam prima nostræ Disputationis editio Bononiæ prodijt in principio anni 1617. apud Bartholomæum Cochium. Vnde facilè perspici potest; eundem Diuinum Spiritum, qui prægrandes in Theologica facultate Gigantes ad eas Decisiones emittendas impellere voluit, paruulum etiam non dedignasse Pygmæum, sed ad hæc paucula edenda excitasse.

* Ac denique Decreta Sacræ Congregationis Concilij, Summi Pontificis Vrbani Octaui auctoritate edita, quæ vniuersam de celebratione Missarum Quæstionem determinant, ac totius eiusmodi difficultatis caussam sanctissima sententia decernunt, ac finiũt, hic extensa ponere, ac tanquam colophonem

phonem addere necessarium duxi:

Appositis etiam Declarationibus eiusdem S. Congregationis super eisdem Decretis : vbi multa pijssimè explicantur, atque determinantur.

SVMMARIVM.

Decisionum breui edendarum Congregationis Pœnitentiariæ Mediolani super nonnullis dubijs circa Missarum celebrationem; editum Anno 1617.

De cantante Missam conuentualem.

1 CAnonicus ad Missam celebrandam obligatus ratione alicuius Capellaniæ, seu alius obligationis celebrandi in eadem Ecclesia, cùm Missam cantat Conuentualem, non satisfacit oneri Capellaniæ, seu alij, pro quo stipe accepta celebraturum se promisit, siue ad idem, siue ad diuersum Altare celebret; nisi cum eo propter nimiam quotidianarum distributionum tenuitatem fuerit specialiter dispensatum.

2 Canonicus, qui ex deuotione, seu

seu ex onere Capellaniæ, seu aliter accepta stipe ad celebrandum in Ecclesia sua Collegiata celebrat, dum Horæ Canonicæ recitantur, seu anniuersaria, & officia defunctorũ celebrantur, non potest haberi pro præsente, quoad distributiones quotidianas, & stipendia percipienda, quæ solis dantur interessentibus; nisi iussu Præfecti Chori propter necessitatem Ecclesiæ eo tempore celebret.

Celebrans dum dicũtur Horæ canonicæ nõ est particeps distributionũ

3 Canonicus ad aliquod tempus absens à sua Collegiata extra casus infirmitatis, iustæ, & rationabilis corporalis necessitatis; aut euidẽtis Ecclesiæ vtilitatis, ex mera aliorũ Canonicorũ liberalitate haberi nõ potest ꝓ p̃sẽti eo tẽpore, ac distributionũ particeps fieri.

Absentes non gaudent distributionib.

4 Sacerdos ad celebrandum obligatus ex institutione Capellæ, quam obtinet, vel propter acceptam stipem, aliam non potest accipere eleemosynam pro eadem Missæ celebratione, & vnica Missa vtrique, seu pluribus obligationibus satisfacere; alioquin peccat

Vna Missa plurib. obligationib. satisfieri nõ potest.

cat mortaliter, & tenetur ad restitutionem; nisi offerentem alioquin ignarum prioris obligationis moneat, ipseque nihilominus velit offerre, vt pro se Collectam recitet, oret Deum, offeratque eo modo, quo potest.

Obligatus alias obligationes recipere nõ potest nisi à consentientibus.

5 Si ab aliquo pio homine offerantur eleemosynæ pro tot Missis pro anima alicuius defuncti celebrandis in aliqua Ecclesia, quot sunt in ea Canonici, Parochi, alijque Sacerdotes ad quotidie celebrandum varijs titulis atque obligationibus astricti, non possunt eleemosynæ illæ ab ijs Sacerdotibus ad eum effectum acceptari, si offerenti non constat, Sacerdotes illos alijs astringi obligationibus, sed vel euocandi erunt alij Sacerdotes; vel ad ipsos remittendus erit offerens. Quòd si huiusmodi obligationes ipsi offerenti iam innotuerunt, vel ab ipsismet Sacerdotibus aperte declarentur, & offerens sic edoctus nihilominus offerre velit, quicquid ab ipso offeratur, acceptari poterit, ac retineri ea intentione,

vt eo

vteo modo, quo possunt, offerat, absque aliorum, quibus antea tenebantur, iniuria, ac detrimento.

Cæterùm quo ad Anniuersaria, Missasque iussu testatorum celebrandas, spectat, quærendi erunt Sacerdotes ab omni onere celebrandi liberi: quòd si huiusmodi Sacerdotes reperiri non possint, propter impossibilitatem actus ab alijs exercendi, satisfieri poterit per eos, qui iam pro alijs offerre tenebantur re cum illustrissimo Archiepiscopo communicata, ab ipsoque facultate impetrata iuxta mentem Concilij Tridentini.

6 Parochialium Ecclesiarum Rectores ratione oneris Parochialis singulis diebus Festis, & tribus præterea ferialibus, in qualibet hebdomada tenentur celebrare; nisi propter inopiam super aliquibus diebus ferialibus ab Illustrissi. Archiepisc. fuerit dispensatum: quòd si ex erectione fortasse suæ Parochialis aliquis eorũ sæpius etiã celebrare teneatur, illi oneri tenetur omninò satis- Parochianus celebrandi.

ſatisfacere.

Duplum eleemoſynæ dieb. feſtis.

7 Diebus Feſtis accipere poteſt Sacerdos pro Miſſa celebranda duplum eleemoſynæ, quæ alijs diebus eo nomine ſolet erogari.

De vacãtia à Miſſa.

8 Sacerdos ad Miſſam quotidie celebrandam obligatus, cuius obligationis verba in ipſam Miſſæ celebrationem referantur (puta quòd quotidie in tali Eccleſia, vel Altari celebretur) nullo die ceſſare poteſt, quin alium ad celebrandum ſubſtituat. Si verò obligatio illa, qualis qualis ea ſit, in ipſum Capellanum referatur, vt ſcilicet quotidie celebrare teneatur, ceſſare poteſt aliquando: quando ſalua honeſtate, ac deuotione ſua celebrare non poteſt. Cœterum nullus Sacerdos, qui ad ita celebrandum teneatur, nec ſemel quidem in hebdomada ceſſare poteſt oblectationis gratia, vel vt aliò ſe conferat, aliamve eleemoſynam accipiat, alioquin peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem.

9 Offerens eleemoſynam Sacerdoti,

doti, ab eoque postulans, vt Missam pro ipso, aut eius defunctis celebret, intelligitur totum illum valorem exigere, qui solet offerentibus applicari, nisi aliter se declaret.

De applicatione sacrificii.

10 Sacerdos, iudice auctore, viaque iuris mercedem exigens à recusantibus soluere pro Missarum celebratione iuxta ordinationem Ecclesiæ, vel approbatam consuetudinem, nullam Simoniæ labem incurrit, modò desit intentio emptionis & venditionis, nec pretium operis spiritualis intendat exigere.

Exigere Missæ stipendia absq; simonia.

11 Non potest Sacerdos pauper propter suam paupertatem, nisi sit extrema, maiorem mercedem accipere, vel exigere, pro Missarum celebratione ad vitam suam sustentandam, quàm vel ipsa constitutio Ecclesiæ dictet vel communis ac laudabilis omnium vsus ferat.

Pauper Sacerdos non potest plura stipēdia sumere.

12 Qui offerenti eleemosynam peculiarem, aliquam Missam, puta de Spiritu sancto, vel huiusmodi, celebraturum

De qualitate Missæ promissæ.

turum se promisit, non satisfacit, si aliam celebret, cùm promissam celebrare possit, seruato Ecclesiæ ritu. Quod si per Ecclesiæ ritum sibi aliquo die non liceat, differre debet. Si verò nec differre possit citra violationem voluntatis offerentis, celebrando Missam diei currentis, satisfacit.

Pinguiora stipendia.

13 Recipiens pinguiorem eleemosynam pro Missæ celebratione à sponte offerentibus, quàm Illustriss. Archiepisc. taxa, seu cõstitutio ferat, nõ peccat: si verò ab inuitis exigat, peccat mortaliter, & ad restitutionẽ tenetur.

De Sacerdote infirmo.

14 Sacerdos quotidie celebrandi onere astrictus, si per annum saltem munus illud obierit, & in aduersam valetudinem inciderit, Illustrissimi Ordinarij iudicio recipere poterit eleemosynam vnius mẽsis, in quo verè per infirmitatẽ sibi non licuerit celebrare.

De missis anticipatis.

15 Qui aliquo die ab onere celebrãdi immunis sit, potest quidẽ, salua iustitia, valorẽ sacrificij illi applicare, qui sibi primò dabit eleemosynam. Verũ vsus

sus iste, vtpote scandalosus, non est in praxi recipiendus, aut tolerandus.

16 Non potest Sacerdos Missam celebrãs seipsũ speciali illo valore priuare, qui sibi celebranti debetur; illumque alii applicare, vt duplicatam pro eadem Missa mercedem accipiat. De valore speciali.

17 Qui ex titulo, vel conuentione aliqua in aliqua Ecclesia, Capella seu Altari celebrare tenetur, si alias celebret, regulariter muneri suo non satisfacit, & peccat mortaliter. De celebrante extra locum obligatum.

18 Tenuem recipiens eleemosynam ad Missam pro aliquo celebrandam, celebrare tenetur, si se ad illud, fide datá, obligauit: alioquin seruare se potest indemné, ab alijs etiã inadequata stipẽdia recipi do, vsq. ad perfectioné integri stipẽdij, pro illisq; omnibus celebrãdo; sicut & recipiens capellã, cuius reditus tenues sint, ad omnia illius onera tenetur, donec reducantur. De stipẽdio tenui.

19 Plura recipiens stipendia, quorum ipse efficiatur dominus, pro pluribus missis celebrandis, quibus nõ possit re-

ſit recipiens per ſeipſum ſatisfacere, ſi per alios celebret, ſatisfacit; nec iniuſtè agit, aliquam ſibi portionem retinendo; modò tamen iuſtam, ac congruentem mercedem celebrantibus perſoluat.

Celebratio cū applicatione.

20 Obtinens Capellam, de cuius origine non conſtet; ſed illud ſolum certum ſit, teneri Capellanum ad quotidie celebrandum in tali Eccleſia, vel Altari, totum miſſæ valorem leganti, ſeu dotanti tenetur applicare: nec ſatisfacit ibi tantum celebrando, alijs verò miſſæ valorem applicando.

Sacerdos qui per alium ſatisfacit.

21 Non eſt tutus in aliquo foro ſecluſa ſedis Apoſtolicæ diſpenſatione, qui capellam retinet habentem onus perſonale celebrādi, quam per biennium, vel diutius, cum adhuc ſacerdos non eſſet, detinuit; licèt per alium ſatisfecerit: non tamen ad reſtitutionem tenetur eorum, quæ in eo munere per alium obeundo, pro eo tempore impendit.

22 Capellanus, qui ex inſtitutione

ne Capellæ suæ quinquies tantùm celebrare tenetur in hebdomada, plenè satisfacit, si diebus tantum ferialibus satisfaciat; modò in eo loco, in quo erecta est Capella illa, diebus festis missæ sacrificium per alium celebretur.

23 Capellanus ad celebrandum obligatus diebus Dominicis, & bis præterea in hebdomada, festis præcipuè diebus, si occurrant: ijs diebus festis celebrare tenetur, qui ex præcepto Ecclesiæ à Christi fidelibus coluntur.

DECRETA
S. CONGREGATIONIS Concilij.

S.D.N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. auctoritate edita.

De celebratione Missarum.

CVM sæpe contingat in quibusdam Ecclesijs tam magnum missarum celebrãdarum numerũ ex

varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, vt illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri; & tamen noua onera missarum indies suscipiantur, indeque fiat, vt depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragijs priuentur, Ecclesijs debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles graui scandalo affecti plerunque à similibus charitatis operibus retrahantur: cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ijs, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas breui ad pauciorem numerum à superioribus reductum iri; aut quòd Ecclesijs forte pecuniarum absumpta, plerunque nuda remaneant onera missarum absque vllo emolumento; aut quòd eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic se muneri subijcere; & reditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeo exigui, vt sacerdotes

pro

pro necessaria sua sustentatione nouis se oneribus obstringere compellantur, S. Congregatio Cardinalium Concilij Tridẽtini Interpretum, animaduertens facturam se rem Deo gratissimã, charitatique, ac iustitiæ maximè cõsẽtaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica conuellere, atque eradicare: S. D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta decreta edidit.

* Ac primò districtè prohibet, & interdicit, ne Episcopi in Diœcesana synodo, aut Generales in Capitulis Generalib. vel aliàs quoquomodo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Conciliũ imposita, aut in limine fũdationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur; quæ, re diligenter perspecta, id statuet, ꝙ magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & cõmutatio-

nes huiusmodi, si qua contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

* Deinde vbi pluribus Missis, etiã eiusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia, quantumcunque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuscunque, tam secularibus, quam regularibus, S. Congregatio sub obtestatione diuini iudicii mandat ac praecipit, vt absolutè tot missæ celebrentur, quod ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

* Id verò, vt deinceps obseruetur exactius S. Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia,

mnia quibuſuis perſonis, eccleſiis, ac locis pijs tam ſecularibus, quàm regularibus, cuiuſcunque ordinis, Congregationis, inſtituti, quamcunque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum miſſarum, vel anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus plurium miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

* Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet ſacerdoti, qui miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna; ne eandem miſſam alteri, parte eleemoſynæ ſibi retenta; celebrandam committat.

* Præterea, ne in Eccleſijs, in quibus onera miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, ſacerdotes in eis, vt par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera huiuſmodi, cum nulla, aut parua ſint vtilitate coniuncta, ſtatuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſijs, Capitu-

lis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tam secularibus, quàm regularibus, atque illorum personis, in futurũ simpliciter acquirenda cũ onere perpetuo missarũ celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur; ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienare contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, vt supra deponi, atque in alijs bonis stabilibus ibidẽ fructiferi cũ eisdẽ onere repetitione, atq; annexione cõuerti debeat.

* Ad hæc, S. Congregatio quibusuis capitulis, Collegijs, Societatibus,

&

& Congregationibus, nec non omnibus, & singulis ecclesiarum, ac piorum locorum, tam secularium, quam regularium superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne in posterũ onera perpetua suscipiãt missarũ celebrandarum: seculares quidem sine Episcopi, vel eius Generalis Vicarij: Regulares verò sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin secularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiæ interdictus sit eo ipso: regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cœtero obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ, absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro missis celebrandis ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoq; onera suscipere valeãt: alioquin omninò abstineãt ab huiusmodi

di eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis: & capsulas auferant ab Ecclesi s cum inscriptione illa, Eleemosyna pro m ssis, vel alia simili, sub i sdem pœnis ipso tacto incurrendis; ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius sacerdotes tam nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, vt reditus, qui Ecclesijs & locis pijs relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiunctis, secundùm morem cuiusque ciuitatis, vel Prouinciæ: intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in nouissimo
die

die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

* Postremò illustrissimi Patres, non sine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facultatem fouent in oneribus missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant reditus & eleemosynæ cuiusque monasterij: inhærentes summorum Pontificum, ac sacri Concilij Tridentini decretis hac de re editis S.D.N. auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, ac Domorum regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium, intra fines Italiæ, & in-

& insularum adiacentium, vt singuli ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus regularibus sui Ordinis, vel Congregationis, probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, reditus, prouentus omnes, consuetas item eleemosynas, & obuentiones, tā communes Monasteriorum, Conuentuū, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas, in commune vsum deinceps cōferēdas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliauè cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere; eaque omnia scripto fideliter exarata, idem superior, cuius interest, in proximo Capitulo, seu Cōgregatione generali, vel prouinciali corā tribus iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis, proponat qui com-

computatis huiusmodi reditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, & oneribus, vt supra, detractis, sedulò examinent, quot religiosi homines, cõnumeratis etiam laicis, alijsque necessarijs seruientibus, in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & Domo regulari, iuxta regionis, & proprij instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, cõpetenter valeant substentari. Tum eorũdem bonorum, redituum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiæ, Monasterij, Conuentus, ac Domus regularis in singula quaq; Prouincia certus earũ tãtũ personarũ numerus Patrũ capitulariũ voto præfigatur, quæ reditibus, eleemosynis, & obuẽtionibus, vt superiùs, sufficiẽter ali possint. Ne verò superiores, qui id p̃stare deb.t, serius aut remissius q̃ par est, suo muneri satisfaciãt, mãdat S. Cõgregatio, vt infra an-

 num

num poſt proximum Capitulum Generale vel Prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta, ad ſacram ipſam Congregationem Concilij ſinguli mittant, numerumque familiæ, ſingulorumque Conuentuum, monaſteriorum, & domorum huiuſmodi regularium, Capituli, ſeu Congregationis generalis, vel prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, ijdem ſuperiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò ſeruare omninò teneantur: nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redditum, abſque ſacræ ipſius congregationis licentia. Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, vt ſupra præſcriptum, quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, & ad omnia, ſuæ Religionis
offi-

officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eò ipſo incurrere, atque alijs etiam grauioribus à ſede Apoſt. infligendis pœnis S. Congr. ſubiacere voluit, & declarauit.

* Deinceps verò Monaſterium, conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu regularium, nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis eiuſmodi locis duodecim ſaltem fratres, aut monachi, ſeu religioſi degere, & ex reditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, vt ſupra, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad præſcriptum decreti fel. rec. Gregorij xv. hac de re editi: alioquin monaſteria, & loca huiuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Relgioſi, vt ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.

* Porrò ne vllo vnquam tempore

in obliuionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Cōuētus, Domus regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ & passiuæ ipso facto incurrenda, vt in perpetuum, sexto quoque Mense, id est, Feria secunda post primam Dominicā Aduentus, & Feria sexta post Octauam Corporis Christi, præsentes Ordinationes in publica mensa prælegantur. Omnibus tam Ecclesiasticis personis cuiuscunque sint ordinis, cōditionis, & gradus, quā laicis, quocūq; honore, ac potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

* Non obstantibus quoad supradicta omnia & singula, in pręsētib. Decretis cōtēta, Cōstitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorē quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiusli-

iuslibet alterius Instituti etiam necessa-riò, & in indiuiduo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuū, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcūque: tam secularium, quàm regularium locorum, nec non illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, est immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis est Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, est per viā cōmunicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innouatis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorūque totis tenori-

ribus & formis, specialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus, quo ad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris. S. Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate, specialiter & expresse derogat: cæterisque contrarijs quibuscunque.

* Et ne præmissorum ignorantia quoquam prætendi possit, voluit eadem S. Congregatio, vt præsentes Ordinationes in valuis Basilicarum S. Ioannis Laterani, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtque earundem præsentium tran-

transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ diæ 21. Iunij 1625.

Cosmus Cardinalis de Torres.

Loco † sigilli.

Prosper Fagnanus Sacr. Congreg. Secr.

* Anno D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Indictione octaua, Pontificatus autem in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani diuina prouidentia PP. Octaui, anno eius tertio, die verò vigesimasecunda mensis Septembris, suprascripta Decreta affixa, & publicata fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, in Acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Camillum Fundatum, & Fabium Æmilianum, sanctiss. D. N. PP. Curs.

Bran-

Brandimartes Latinus Prælibati Sanctiss. D. N. PP. ac S. Rom. & Vniuersalis Inquisitionis Cursor pro Mag. DD. Cur.

DECLARATIONES ALIQVOT

Sacræ Congregationis Cõcilij S. D. N. Vrbani Papæ VIII. auctoritate editæ super Decretis eiusdem Congregationis.

De Celebratione Missarum.

SVper primo Sacræ Congregationis decreto, de Celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in diœcesana Synodo

nodo

nodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo, reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, vt non sit, qui velit onus illi iniunctum subire, &, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit huiusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo eiusdem Congregationis decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint:

Quæritur: an verba illa, *præscriptæ fuerint*, intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit

Pſerit eleemoſynam congruam iuxta qualitatem loci perſonarũ ac tẽporũ, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruũ, teneantur Miſſas illas ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu capellæ, legati, aut ſalarij, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis votiuis, aut defunctorum, recipere, & vnico Miſſæ ſacrificio vtrique oneri ſatisfacere?

Quintò, Poſito, quod Teſtator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Miſſæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ: Quæritur, an liberum ſit hæredibus eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere: an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario.

Sextò, ſuper tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus colle-

collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat:

Quæritur. An verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Priuilegium:

Septimò, super Quarto eiusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat:

Quæritur, An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, vt retineãt aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altariũ, inseruientiũ, paramẽtorũ, luminum, vini, hostiæ, & similium.

Octauò, An hoc decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, id est, An Rector Beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficij:

Nonò

Nonò, An ſacerdotes, quibus aliquã-do offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare eandem integram eleemoſynam ijs, quibus Miſſas celebrandas committunt: An verò ſatis ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Decimò, ſuper quinto eiuſdem Congregationis decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba: Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ità ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant: alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.

Quæritur, An hoc decretum prohibeat abſolutè, quo minus accipiant nouas eleemoſynas ij, qui acceptis non ſatisfecerint, & quid ſi congruo tempore poſſit omnibus ſatisfacere?

Vndecimò, quid ſi offerens eleemo-

ſynas

ſynas, audito impedimento, conſentiat, vt Sacerdos Miſſas celebret cùm primum poterit?

Duodecimò, An pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem decreto afficiãt tam eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſijs, vt ibidem præcipitur?

Decimotertiò, An in hoc decreto cõprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſijs, in die commemorationis omnium Defunctorum, & vulgò dicuntur (caſſe de Morti)?

Decimoquarto, An adminiſtratores Eccl. magnæ deuotionis, & concurſus poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi ijdem Miſſis non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſiæ, & deuotio, ac concurſus fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimoquintò, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Cõgrega-

gregationibus, nec non omnibus, & singulis Eaclesiarum, & Piorum locorum, tam sæcularium, quàm regularium, superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (*& alijs, ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione?

Decimosextò, super septimo eiusdem Sacræ Congregationis decreto, quo cauetur, vt in singulis Monasterijs religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis reditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari:

Quæritur, An vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim similis decreti san. memo. Pauli V. absque tamen computatione redituum cuiusque religiosi, sit denuo facienda, nec ne:

Decimoseptimò, an nouitij, ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasterijs, in quibus, habita vt supra præfixione numeri, commodè alij non possunt.

Decimo octauò, ſuper vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur conuentus regularium, niſi pręter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita vt alioquin ſubſint iuriſdictioni o dinariæ.

Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas religiones, quæ non conſueuerunt onera Miſſarum recipere, vt ſunt religiones Capuccinorum, ac Societatis Ieſu.

Vltimò, an idem decretum, vbi diſponit, vt nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia dũtaxat, ad quam eſt reſtrictum decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam.

SAcra Congregatio Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum authoritate ſibi à Sanctiſſ. D. N. attributa. Ad ſingula dubia ſuperius pro-

 poſita

posita adhunc modum respondit, videlicet:

Ad *primum*, etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus, pro reductione oneris, vt supra, impositi, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam; quæ absque vlla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse iudicauerit. Veruntamen si in ipsa beneficij erectione expresse cautum fuerit, vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non substulerunt, esse validam, & obseruandam.

Ad *secundum*, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem suæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad *tertium*, teneri,

Ad *Quartum*, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.

Ad *Quintum*, censuit, vbi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarũ, secũdũ morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad *Sextum*, Ita esse intelligenda.

Ad *Septimum*, respondit, permittendum non esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum vllam, vtcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione; nisi cùm Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent reditus, quos in vsum earundem expensarum erogare licitè possint, & tunc, quam portioné retinebũt, nulla-

tenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs, quæ supersunt; expensis, vt supra deductis; absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint, ab offerentib. eleemosynas.

Ad *Octauum*, non habere locum, sed satis esse, vt Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat, Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ; nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad *Nonum*, debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebrāti, nec vllam illius partem sibi retinere posse.

Ad *Decimum*, respondit, non prohibere absolutè; ac propterea etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen noua etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo in-

do infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad *Vndecimum*, quamuis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, vt illæ tunc demum celebrētur, cū susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quo minùs eo casu eleemosyna accipiatur pro ijsdem Missis iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad *duodecimum*, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel eius generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad *decimum tertium*, Comprehendi.

Ad *decimumquartum*, Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, vt supra in responsione ad duodecimum.

Ad *decimum quintum*, comprehendi

etiam priuatos Sacerdotes.

Ad *decimum sextum*, numeri præfixionem esse iterum faciendam, seruata forma vltimi decreti hac de re editi.

Ad *decimum septimum*; esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio eiusdem religionis esse collocandos, vbi commodè ali possint.

Ad *decimum octauum*, Censuit comprehendere.

Ad *vltimum*, habere locum etiam extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Loco † sigilli.

Prosper Fagnanus. S. Congreg. Secr.

SECTIO VI.

Rationes, quæ contra determinatam veritatem opponuntur, & eorum solutiones.

Argumenta, omnibus Sacerdotibus communia.

PRI-

PRIMVM ARGVMENTVM
Ab auctoritate Theologorum.

MIssa est infiniti valoris, & ex consequenti si pro multis offertur, tantùm valet singulis, ac si pro vno solo offerretur, ex multis, & grauissimis Theologis, superius relatis *sect. 3. praenot.* 4. §. 1. Ergo Sacerdotes, etsi antiquis Missarum obligationibus detineatur, possunt noua stipendia & legata accipere, & paucis Missis multorum obligationibus satisfacere absque singulorum detrimento.

Quod firmatur doctrina D. Thomae, qui (*lect. 6. in ca. 8. Ioan.*) dicit; sacrificium missae esse causam effectuum gratiae, vel bonorum Ecclesiae, & vniuersalem applicationem passionis dominicae. Et etiam ait (*3. par. q. 79. artil. 5. & 7.*) Sacrificium prodesse offerentibus, & pro quibus offertur secundum deuotionem illorum. Ergo si vni tantùm applicaretur, esset causa particularis, & applicatio secundùm quid Passionis Christi. D. Thom. testimonia.

At D. Thomas eſt ſpecialis Eccleſiæ Doctor, cui nunquam eccleſia repugnauit, ſed eum extulit ſemper: ergo ex D. Thoma miſſa eſt infiniti valoris, & vna miſſa pro multis dicta, valet omnibus ſine ſingulorum præiudicio.

Eandem ſententiam aſſeuerantiſſimè tenet, ac docet præſtantiſſimus Caietanus *3. par. q. 79. ar. 5.* & *opuſc. tom. 2. tract. 3. q. 2.*

Explicatio & de valore miſſæ

Reſpondetur, hanc rationem *ſect. 4. con. 2.* & etiam *conc. 4. & 5.* ſatis eſſe reſolutam: nam miſſa eſt infiniti valoris intenſiuè ſecundum ſe, & etiam extenſiuè ratione offerentium, & ratione impetrationis: non autem eſt infiniti valoris intenſiuè ratione effectus quoad ſatisfactionem, & meritum: ideo multis applicata, minus valet.

1 Quamuis autem miſſa infiniti eſſet valoris, non ſatisfit vna miſſa multis oneribus, imò fidelitas violatur, iniuſtitia committitur, mortaliter peccatur, & reſtitutionis onus emergit: vt ex

ijſdem

ijsdem doctorib⁹, missã esse infiniti valoris opinantibus, latè ibi demonstratum est; & postea à S. Congregatione cõcilij determinatũ. Quoniã stipẽdiũ, vt in *prædicta* 2. *concl.* §. 1. *num.* 2. dictũ est, non datur pro Missæ valore, licèt esset infinitus; cùm enim sit res spiritualis, simonia committeretur: sed tanquam temporale stipendium ad sacerdotis sustentationem exhibetur; quod quidem, cùm lege, aut consuetudine sit limitatum, sacerdos non potest excedere. Neque infinitus valor missæ à violatione promissi, & pacti, atque à iuramento promissorio, & exinde à periurio sacerdotem absolueret & liberaret.

2 Ad *auctoritatem* D. *Thomæ respondetur*, ipsum nullo modo docere, vna missa ex infinito valore posse satisfieri pluribus missam petentibus. Nam primum testimonium docet, sacrificium missæ esse vniuersalem applicationem Passionis Christi, & vniuersalem causam effectuum gratiæ, & bonorum **Ad D. Thomam.**

Missa est causa effectuum gratiæ, & applicatio passionis Christi.

Ecclesiæ, qui pro viuis & defunctis offertur, cùm sit sacrificium infinitum intensiuè, non secundùm efficaciam & de facto, sed secundùm, sufficientiam, & secundum se, & ratione rei oblatæ, & principalis offerentis, Christi videlicet; & cum sit infinitum etiam extensiuè ratione oblationis, quæ non minuitur ex offerentium multitudine: & ratione ipsorum offerentium, qui se mutuò ad maiorem deuotionem accendunt, & per modum impetrationis, quæ fundatur in Dei liberalitate, quæ limitata non est: ideo sacrificium missæ est vniuersalis causa gratiæ, & bonorum Ecclesiæ, quia non tot effectus gratiæ & bonorum producit, quin possit plures & maiores; atque non pro tot, quin pro pluribus, ac in maiori gradu applicari, & prodesse possit; vt latè superius explicatum est *sect. 3. prænot. 4. §. 7. & 8. & 9.*

Ad aliud testimoniũ D. Thomæ.

3 Secundum D. Thomæ testimoniũ apertè intelligitur de valore Missæ infi-

infinito syncategorematicè, seu indefinitè, vel extensiuè, vt iam concessum est. Imò in prædicto *articul. 5. in corpore*, perspicuè docet, Missam valoris esse infiniti secundùm se quidem, & quo ad sufficientiam; sed quo ad effectum, & extrinsecè valoris esse finiti & limitati; vt supra dictũ est *pr. 4. §. 4. n. 2.* dicit enim: *Quãuis ergo hæc oblatio ex sui quãtitate sufficiat ad satisfaciẽdũ pro omni pœna* (en valor infinitus quo ad sufficiẽtiã) *tamẽ fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.* En valor Missæ limitatus & finitus, quoad effectum: *nam cum vniuscuiusque deuotio finita sit, finitum & limitatum recipit effectum; ideo quoniam valor limitatus, respondens finitæ & limitatæ deuotioni, plerunque non sufficit ad satisfactionem debitæ pœnæ, iteratur sacrificium, vel ad satisfaciendum pœnæ cum effectu, vel ad illud obtinendum cum effectu, quod à Deo desideratur, & petitur.* Ergo ex D. Thoma nullo

modo habetur, Missam esse infiniti valoris intensiue quo ad effectum; neque vna Missa pluribus oneribus posse satisfieri.

Ad Caietanum.

4 Ad *Caietanum dicitur*, ipsum grauissimum esse Theologum, & de S. Theologia optime quidem meritum; sed in hoc non recipi, vt asserit Nauarrus (*conf. tom. 1. lib. 3. de celebr. missar. conf. 4.*) Quod nullo modo Caietani officit doctrinæ ac dignitati: multi enim sunt Sancti Patres, & doctrina præstantissimi, & supremi, atque præcipua S. Ecclesiæ lumina, qui sanctissima & vtilissima docuerunt, & vniuersali applausu recepta sunt; & nihilominus in aliqua re omnibus non probantur; & qui eos alioquin imitati & admirati sunt, in aliquo eis non adhærent, eosq; nullo modo sequuntur: & inde nihil eorum sanctitati & doctrinæ derogatur. Id quod & doctissimo Caietano in hac re cõtigit, cui grauissimorũ Theologorũ cateruę opponuntur, qui supra relati sunt *sect. 3. præn. 4.* § 1. cum quibus sen-

ſentire & opinari honorificum & optimum eſt.

5 Et Caietano in hac parte aduerſatur potiſſimùm vniuerſa Dominicana Religio, ſanctitate, doctrina, prudentia, pietate vndecunque celeberrima, atque Chriſtianæ & Religioſæ perfectionis exemplar. Nam Dominicus Soto, inſignis Doctor Ordinis Prædicatorum, 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *quæſt. de valore Miſſæ oblatæ pro pluribus, poſt conc.* 2. dicit; *Quocirca optimè in Ordine noſtro conſultum eſt, vt pro vna Miſſa non recipiantur à pluribus eleemoſynæ, ac ſi pro vno eſſet offerenda.* Caietano opponuntur Dominicani Doctores.

Primò, quia eleemoſynam largientes, in ſua opinione decipiuntur: quare deterrentur, & abalienantur ab earum eleemoſynarum largitione.

Secundò, quia ſi hoc, quod diximus, verum eſt, in veritate defraudantur.

Tertiò, & potiſſimum, quia eleemoſynæ non debent ſuſcipi pro valore ſacrificij, ſed in ſubſidium, & alimentum Sacerdotum, ob idque manifeſtaria

 fraus

fraus esset, tantum eleemosynarum pro vno sacrificio corradere. Hæc Sotus.

6 Et Bartholomæus ab Angelo, egregius auctor Dominicanus, *exam. Confess. dial.* 4. §. 134. *refert*, occasione decreti Concilij Tridentini *sess.* 25. *ca.* 4. *reform. de Missarum ad minorem numerũ reductione*, Maiores Sacri Ordinis Prædicatorum in Capitulo Generali, Bononiæ anno 1564. celebrato, sic statuisse: Quæ circa missarum numerum à S. Synodo decreta sunt, exequi cupientes, illius actoritate, nostro Generali Capitulo commissa, in hac parte fungentes, mandamus omnibus Prioribus, & alijs Præsidentibus nostrorum Conuentuum in virtute Spiritus Sancti, vt infra mensem à notitia præsentium maior Prælatus cum tribus Patribus qui à consilijs solent esse in Conuentu, omnes Missas, quæ defunctorũ testamẽtis relictæ, & à Cõuẽtu fuerint susceptę, vt perpetuò, vel singulis, vel aliquibus diebus determinatè dicerentur,

Decretum optimum Dominicanæ Religionis.

tur, in numerum redigant: & ex alia parte similiter summam stipendij, siue eleemosynæ, quæ pro qualibet Missa instituta fuit. Deinde ratione habita stipendij sustentationis, quod nunc iuxta morem cuiusque patriæ pro vna Missa dignum communi æstimatione censetur, ex illis omnibus certum aliquem Missarum numerum, in posterum dicendarum, statuant, quem inuiolabiliter prædicti Conuentus Fratres possint implere: super quo eorum conscientiam oneramus, vt quoad fieri possit, æqua sit æstimatio: cùm ad eximendum fratrum nostrorum scrupulos hoc remedium maxime necessarium sit. Et nihilominus in quotidianis Capitulis, & alijs suffragijs, quæ extra fieri solent, defunctis, qui talia sacrificia petierunt, coram diuina misericordia subueniatur.

Hæc autem grauissimi Patres tam prudenter & pie non statuissent, si vna Missa ita esset infiniti valoris, vt pro pluribus oblata tantùm prodesset om-

nibus, quantum si pro singulis diceretur; cœtera enim indulta superflua essent.

SECVNDVM ARGVMENTVM

A posteriori.

NVlla Sacra Scriptura, nullus Sanctus Doctor, nullus antiquus Theologus, nulla traditio, nullum Cōcilium, nullus Pontifex contrarium posuit; quòd scilicet Missa sit finiti valoris, & quòd vna Missa dicta pro multis non valeat pro omnibus perinde, ac si pro vno solo diceretur. Ergo ita tenendum est.

Argumenti ab auctoritate negatiua S. Scripturæ paruus vigor.

1 *Respondetur* quo ad Sacram Scripturam: Argumenta ab auctoritate negatiua S. Scripturæ nihil habere ponderis apud Theologos. Imò contra hæreticos, falsò putantes, omnia ad fidem, & ad mores necessaria haberi in S. Scriptura, certissimum & catholicum dogma est; Non expresse contineri in Sacris Literis vniuersam de fide & moribus necessariam doctrinam; vt præclarè ostenditur apud Bellarmi-

num

num(*Tom.1.controu.li.4.de verbo Dei non scripto, cap.3.& seqq.*) Ideo quamuis expreſsè non habeatur in S.Scriptura, vna Miſſa non poſſe pluribus obligationibus ſatisfieri, neque pro vno ſacrificio plura ſtipendia ſumi, nihil derogatur veritati huius ſentētiæ, & doctrinæ.

2 Nec deſunt Doctores Sancti, qui eam teneant, ac doceant. S. Thomas. 4.*diſt.45.q.2.art.4. quæſt. 2. argum. Sed contra*, dicit: *Si ſuffragium, pro multis factum, tantùm valeret ſingulis, ac ſi pro vno tantùm fieret, videtur quod Eccleſia non debuit ſtatuiſſe, vt pro aliquo ſingulariter Miſſa, vel oratio fieret; ſed quòd ſemper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis: quod* patet eſſe falſum. Doctores ſancti pro noſtra ſententia.

In corpore eiuſdem quæſtiunculæ inquit: *Si conſideretur valor ſuffragiorum, in quantum ſunt ſatisfactiones quædam, per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet ſuffragium alicui, quod pro eo ſingulariter fit.*

In *quæſtiuncula 3. ad 2.* ait. *Quamuis virtus Christi, quæ continetur ſub Sacramento*

mēto Eucharistiæ sit infinita, tā determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Vnde non oportet, quod per vnum Altaris sacrificium, tota pœna eorum, qui sunt in purgatorio, expietur, sicut etiam nec per vnum sacrificium, quod aliquis homo offert, liberatur à tota satisfactione debita pro peccatis; vnde & quandoque plures Missæ in satisfactionem vnius peccati iniunguntur. Hæc ille. Ex quibus D. Thom. doctrinis tam *in 4. sentent.* quàm in 3. *par. locis* iam adductis tam hic, quam *in respons. ad 1. argument. numer.* 3. clarissimè apparet, D. Thomam pro nobis esse.

Sed adest alius Sanctus Doctor, & Seraphicus quidem, S. Bonauentura 4. *dist.* 45. *art.* 2. *q.* 3. *ad vlt.* vbi loquens de sacrificio Crucis, & Altaris, dicit: *Quāuis idem sit, non tamen vtrobique vniformiter cooperatur, nam in Cruce effusum est pretium in omnimoda plenitudine; sed in Altari habet effectum determinatum, cum quotidie assumatur: & propter hoc prima oblatio non iteratur, sed secunda iteratur.*

Confir-

Confirmat S. Bernardinus *Serm.* 65 *art.2.ca.3. Dominicæ in oct. Resur. de purgat.* qui ait, *Suffragia, quæ fiunt pro vno plus sibi prosunt, quàm si eadem pro pluribus fierent.*

Fauet S. Antoninus *sum.par.1.tit.10. ca.2.§.4.* dicens. *Qui autem specialiter petit Missam pro se, vel pro amico viuo, vel mortuo, intendit habere pro se totam Missam ad satisfaciendum.*

3 Antiquos Theologos, hoc ipsum tenentes, & docentes, superius retulimus *sect.3. prænot.* 4. §.1. Richardum, Durandum, Scotum, Paludanum, Maiorem, Bachonum, Gabrielem, Adrianum, & alios. Antiqui Theologi.

Quoad traditiones dicendum est ex Ban. *2.2.q.1.art.10.commen.fusior.dub.6.versu, Tertiò est animaduertẽdum.* Alph. *Mendoz.cont.Theol.q.4.Scholast.ad 4.arg.* Azor. *inst.mor.par.1.lib.8.cap.8.q.3. Traditiones* esse in *triplici differentia: aliæ* sunt *diuinæ*, quas ab ore Christi, vel Spiritu sancto dictãte, vel Christo iubente, Apostoli promulgarũt; *aliæ Apostolicæ*, ab Traditiones.

Apostolis institutæ: *aliæ Ecclesiasticæ*, quæ more, vsu, & consuetudine Ecclesiæ inductæ sunt, in quibus inducendis Ecclesia decipi, aut errare non potest, (Azor. *vbi sup. in calce ca.*) At mos & consuetudo Ecclesiæ est antiquissima, vt pro vno Missa celebretur, & pro vno, vel pro vna re obtinenda Missæ particulares dicantur: vt patet in ordine Missas dicendi in Missali, & ex vetustissimis Ecclesiarum, & Monasteriorum tabulis, à stipendia largientibus instituta sunt perpetua, vel temporalia Anniuersaria, vel Missæ quotidianæ, vel alia Missarum onera, pro vno, & tali dicenda; atque promissione, ac iuramento à dictarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum Sacerdotib. sunt acceptata: ideo Ecclesiastica traditio est, vnam Missam non æquè plurib. prodesse, quam paucis.

Concilium Tridentinum pro eadem sententia.

5 Habetur etiam Concilium, Tridentinum videlicet, *sess. 25. cap. 4. de reform.* vbi Missarum ad minorem numerum restrictio conceditur, non omnibus

nibus Sacerdotibus, ſed Epiſcopis, & Generalibus Regularium in Synodis, & Capitulis Generalibus; quia multæ Eccleſiæ, & Monaſteria Miſſarum obligationibus iuxta numerum, quem olim ſtipendia dantes præſcripſerunt, ſatisfacere non poſſunt: quod fruſtra indulgeret Concilium, ſi vna Miſſa poſſet pro pluribus ſatisfieri. Quod quidem grauiùs inde firmatur, quòd non de omnibus Miſſis reſtringendis conceditur facultas à Concilio, vt infra videbitur *ſect.* 7. § . 5.

6 Sed & Pontifices non deſiderantur. Iulius 2. *conſtit.* 7. & Leo 10. *conſtitut.* 7. & 8. apud Confect. collect. priuileg. concedunt Regularibus Sacerdotibus, vt vna Miſſa ſatisfaciant multis eleemoſynis pro multis dicendis Miſſis, ſi illæ eleemoſynæ non æquivaleat valor vnius Iulij: atque vt vna Miſſa cum nouem Collectis pro nouem Miſſarum obligatione ſatisfacere poſſint. Ergo ſummi Pontifices demonſtrant vnam Miſſam pro pluribus Summi Pontifices.

non

non valere: alioquin inania hæc essent priuilegia. De quibus infra diligenter agendum est dicta *sect.7.§.8.& 9.* Deniq. Vrbani VIII. auctoritate Decreta, de hac re iam emanarunt quæ superiùs *sect.5.* posita sunt.

7 Quare qui tenent, ac docent, Missam fructus esse finiti ratione effectus, & vnam Missam pro multis dictam minus prodesse singulis, & cum eorundem singulorum detrimento, quàm si pro vno tantum celebraretur, non ignoranter opinantur, neque arguendi, & instruendi sunt, vt ex Caietano, *3.par. q.79.art.5.* aliqui non satis rectè affirmare non dubitarunt. Indignum enim est, præstantissimis, & innumeris Theologis, eruditione, acetiam interdum sanctitate, ac dignitate admirandis, superiùs *sect.3.præn.§.1.* aliqua ex parte relatis, ignorantiæ notam inurere; eosque sub pædagogo duplici ferula arguendos, & instruendos submittere; cum præcipuè Caietanus, non de tenentibus hanc sententiam, sed

de ho-

de hominibus Missam eleemosyna petentibus, in sua opinione apertè loquatur.

TERTIVM ARGVMENTVM

A Concilio Tridentino, & Pontificiis priuilegijs.

CONcilium Tridentinum, hic supra citatum, *sess.* 25. *de form. ca.* 4. dat facultatem Episcopis, & Prælatis Generalibus reducendi Missas ad minorem numerum, & summi Pontifices Iulius 2. & Leo 10. Regularibus indulserunt, vt vna Missa cum nouem Collectis, vt hic supra relatum est, pro nouem Missis possint satisfacere. Ergo ex Concilio Tridentino, & Pontificibus, possibile est, vna Missa pluris satisfieri.

1 *Respondetur*, ex Concilio Tridentino, & Pontificibus haberi cōtrarium eius, quod dicitur in argumento, videlicet, sacerdotes priuata auctoritate non posse vna Missa pluribus obligationibus satisfacere. Concilii Tridentini indultū de Missarum reductione.

2 Deinde, Concilium Tridentinum non indulget, vt absolutè vna Missa pluribus satisfiat: sed vel propter impossibilitatem celebrandi omnes Missas, quæ in maximo numero à testatoribus sunt præscriptæ, vel quia reditus adeo tenues sunt, vt longè distent à iusto Missarum stipendio, & non reperiantur qui velint se huiusmodi oneribus obstringere; ideo sanctissimè remedium illud adinuenit; dicit enim: *Contingit sæpe, in quibusdam Ecclesijs, vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse, vt illis pro singulis diebus, à testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri: vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere, ideo depereunt piæ testantium voluntates,* &c. In quibus verbis nullum apparet vestigium, quo liceat asserere, vnam Missam pro pluribus valere; sed tantummodo propter impossibilitatem, vel non iusta stipendia, obligationes Missarum à Prælatis dimi-

diminui posse. Quod clarius ex eo dignoscitur, quòd hoc indultum non valet in obligationibus Missarum post idem Concilium inductis, neque pro Missis in fũdatione impositis, neq; pro Missis particularibus votiuis, aut pro defunctis, quæ à particularibus personis exiguntur, neque pro Missis stipendio in futurum petendis; vt infra dicetur *sect. 7. § . 5. numer. quinto, & seqq.*

3 Similiter dicendum est de priuilegio summorum Pontificum, videlicet, non absolutè declarare, vnam Missam valere pro multis, sed iusta causa intercedente, scilicet, vel summæ necessitatis, vel magnæ paupertatis, quæ Regulares alias à perfectioris vitę operibus retardaret, in dictis obligationibus dispensare, applicando ex thesauro Ecclesiæ quicquid satisfactionis minuitur illis, qui stipendio Missas petierunt.

QVARTVM ARGVMENTVM

A Simili.

N Sacri-

SAcrificium Missæ continet virtutem & efficaciam antiquorum omnium sacrificiorum, & multò magis sacrificij Crucis, & cœnæ Domini. Sed illa valorem habuerunt tam generaliter, quàm specialiter pro omnibus: ergo & Missa: ideo vna Missa valet non solùm generaliter, sed etiam pro omnibus specialiter.

Crucis & Missæ sacrificium diuersæ rationis.

Respondetur primò, non esse eandem rationem sacrificij Crucis, & sacrificij Missæ.

1 Tum quia in sacrificio Crucis offerens est filius Dei per se, & in propria persona: in sacrificio Missæ offerens est filius Dei per aliũ, idest, per Sacerdotẽ.

2 Tum quia in sacrificio Crucis actio est immediatè à diuina persona: in sacrificio Missæ immediatè à persona humana.

3 Tum quia sacrificium Crucis fuit vnum tantum, & nunquam repetitum, quia est oblatio & hostia vniuersalis redemptionis: sacrificiũ verò Missæ millies, & infinities offertur, quia sacrifici-

um

um placationis est pro redemptorum quotidianis culpis, quibus redemptionis, & filiorum adoptionis iura perdiderunt. Ideo illud dicitur infinitum, hoc autem finitũ. Ita optimè illustriss. Bellarminus *tom. 2 controu. li. 2. de Missa cap. 4. proposit. 4.* Bartholom. Medin. *in 3. p. q. 48. artic. 3. conc. 4.*

4 Quamobrem sacrificium Missæ est idem cum sacrificio Crucis, quantum ad rem oblatam: non autem quantùm ad modum, & oblationem.

Respondetur secundò, verum esse, quòd sacrificium Missæ habet valorem sacrificij Crucis & Cœnæ, & aliorum sacrificiorum; ideo habet valorem infinitum extensiuè pro omnibus, generaliter, & specialiter, ita vt non pro tot, quin etiam pro pluribus applicari & valere possit, & valorem etiam habet infinitum intensiuè secundum se, & quoad sufficientiam: non autem quoad efficaciam, & de facto: vt sæpius repetitum est.

Missa quomodo habeat valorẽ antiquorũ sacrificiorum.

* Si obijciatur, meritum Christi,

 quod

quod nobis per hoc ſacrificium applicatur, eſt infiniti valoris intenſiuè, & extenſiuè:ergo & Miſſa.

Inſtantiæ tolluntur. * *Reſpondetur* idem, quod iam iam dictum eſt, ſacrificium Miſſæ infin ium eſſe etiam intenſiuè quo ad ſufficientiam; non quoad efficaciam.

* Si iterum *dicatur*, Chriſtus eſt principalis offerens in Miſſa, qui applicat virtutem ſuæ paſſionis illis, pro quibus Miſſa dicitur: ergo Miſſa pro multis, etiam infinitis, valebit, quia Chriſtus eſt infinitæ virtutis ac dignitatis.

* *Reſpondetur*, Chriſtum eſſe quidem principalem offerentem, ſed non immediatum & proximum, qui eſt ſacerdos, cuius actio finitæ virtutis & valoris e. Ideo non valet inſtantia.

QVINTVM ARGVMENTVM

Ab inconuenientibus.

1 SI Miſſæ efficacia finita eſt; ergo non magis prodeſt magis deuoto, & meliori.

2 Sa-

2 Sacrificium Missæ non esset nobilius Sacramentis; sed exiguum, & vtile. Nam si multi ab vno Sacerdote Baptismum simul suscipiunt, quilibet eorum tantum fructum ex Baptismo percipit, quantùm est idonea eius ad Baptismum præparatio; ergo eodem modo, & multò magis de Missa dicendum est.

3 Sacerdos maiorem videretur valorem habere in sacrificium, quàm sacrificium ipsum; nam sacerdos potest vnica forma, & ijsdem verbis plures, & infinitas Hostias consecrare; ergo & vnica Missa poterit pluribus, & innumeris satisfacere.

4 Oblatio sortiretur efficaciam non ex offerente Christo, & re oblata, sed solum ex institutione; ergo sacrificium Missæ non maioris esset virtutis, quàm matrimonium, in quo Christus non concurrit ad contrahendum, sed solum instituit.

* 5 Magis culpa noceret, quàm remedium prodesset; quod est contra il-

lud Apoſtoli ad *Rom.cap.5. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.* Nam peccatum Adæ nocet pluribus, & pluribus in infinitum : ergo ſacrificium Chriſti, quod fit in Miſſa, prodeſſe poterit pluribus, & pluribus in infinitum.

* 6 Pauperes eſſent deterioris conditionis, quàm diuites, cùm pro illis rariora fiant ſacrificia in vita, & poſt mortem, quàm pro iſtis; quod eſt contra illud quod docuit Chriſtus *Matth. cap.5.* & *Luc.cap.6. Beati pauperes.* Ergo vnum ſacrificium communiter valet pro multis.

* 7 In Memento non liceret de aliquo alio mentionem facere, niſi de eo, à quo ſtipendium pro Miſſa acceptum eſt: qui ſibi totam Miſſam exquirit. At hoc eſt contra pium omnium ſacerdotum vſum, & contra id, quod habetur in rubricis generalibus Miſſalis Romani, *tit. de Canone Miſſæ viij. num. 5.* videlicet, faciens cõmemorationẽ viuorũ Chriſti fideliũ ad ſuã volũtatem.

* 8 Sacrificium Missæ non prodesset solùm defunctis, qui meruerunt, vt sibi prodesse possent; sed eis, pro quibus particulariter offertur. At hoc est contra S. Patrem Augustinum, (*Enchirid. cap.* 110. & refertur: *cap. tempus.* 13. *q.* 2.) qui ait: *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatori offertur, vel eleemosynæ fiunt in Ecclesia; sed hæc eis tantùm prosunt, qui cum viuerent, hæc sibi, vt postea possent prodesse, meruerunt.* Hæc ille. Ergo sacrificium Missæ non debet alicui particulari defuncto applicari; sed generaliter, & in communi, vt eis prodesse possit, qui in vita hoc meruerunt.

9 Periculosus esset status multorum, qui pro aliquibus iam ad celebrãdum obligati, alias eleemosynas pro Missis dicendis, si venissent accipiebãt.

10 Neque congruum videtur velle reijcere noua stipendia dantes, ne hoc bono pro se vel pro suis defunctis priuentur.

Respondetur ad Primum Inconueniens, negando consequentiam: cùm enim Missæ valor syncategorematicè, siue indeterminatè, & extensiuè sit infinitus, non tantum fructum præbet, quin possit maior, siue in maiori gradu applicari, & proficere ex maiori, & meliori offerentium deuotione, vt dictum est *sect. 3. prænot. 4. §. 7. & seqq.*

Ad *Secundum Inconueniens* negatur sequela: nam sacrificium Missæ ex eo quòd est finiti valoris, quoad efficaciam, non est exiguum, & vile, quia infinitæ virtutis est secundum se, principalis. n. offerens, & res oblata, scilicet Christus, infinitæ dignitatis est: & modus offerendi secũdũ se maximè supernaturalis est, & diuinus: & Missa est expressa & viua imago Passionis, & exinde Incarnationis Christi, & est sacrificium holocaustum, propitiatorium, satisfactorium, meritorium, & impetratorium; vt sup. *sect. 3. prænot. 4. §. 2.*

1 Est etiam nobilius, & dignius, reliquis Sacramentis. Tum quia ratio sacrificij

crificij ad diuinam dignitatem & maiestatem demonstrandam immediatiùs ordinatur, quàm ratio cuiuslibet Sacramenti.

Missa nobilior alijs Sacramentis.

2 Tum ratione ipsius rei & mysterij, quod continet, scilicet ratione ipsius Christi; nam cætera Sacramenta sunt sancta habitudine tantum, quia significant, conferunt sanctitatem: hoc autem sacrificium, & habitudine, & formaliter & substantialiter sanctum est, quia continet ipsam sanctitatem. Ex D.Th. 3.*par.q.65.art* 3.

3 Tum quia in alijs Sacramentis nihil est præter materiam & formam sensibilem, nisi quod accipiuntur, vt instrumenta, ad gratiam efficiendam; in sacrificio Missæ est forma, & materia sensibilis, præterea verè & realiter ipse Christus proprius auctor gratiæ.

4 Et licèt alia sacramenta nouæ legis excedant hoc sacrificium in efficacia gratiæ, quia Sacramenta in rectè, ac ritè sumentibus primam gratiam, & peccatorum remissionem immediatè

Excessus in efficacia gratiæ inter Missam, & Sacramenta.

mediatè, & per se ipsa efficiunt; sacrificium verò Missæ per aliud, & mediatè gratiã, & peccatorũ veniã inducit, quia scilicet impetrat pœnitentiæ donũ, ac primã gratiã, vt peccata expiëtur, vt dictũ est *dicta sect. 3. prænot. 4. §. 2. nu. 2.* Hic tamen aliorum Sacramentorũ in efficacia gratiæ excessus est solũ secundum quid & oritur ex propria ratione Sacramenti, qui magis directè, & per se ordinatur ad homines sanctificandos: excessus autẽ perfectionis, dignitatis, & maiestatis sacrificij Missæ, qui hic supra declaratus est, simpliciter, & absolutè in illo est, vt ex dictis patet. Suar. *tõ. 3. in 3. p. disp. 39. sect. 2. & disp. 76. sect. 3. & etiã* Sebast. Medic. *sũ. decr. de cons. dist. 2. ar. 9.*

5 Ad *instantiã de Baptismo dicitur*, non currere similitudinẽ: Baptismus enim, quem suscipimus, non in actione, vt sacrificium; sed in receptione consistit. Azor. *instit. mor. tom. 1. lib. 10. cap. 20. q. 9.*

Ad 3. inconu. * Ad *tertium Incõueniens dicitur*, quòd non est eadem ratio de consecratione plurium hostiarum, & de Missa: quo-

niam sacerdos vnica forma, & eisdem verbis plures hostias consecrat ex institutione Christi, qui instituit, & voluit, consecrationem esse validam, posita materia, forma, ac intentione ministri. De Missæ autem sacrificio oppositum habetur ex institutione Christi, qui in sacrificio Altaris posuit determinatum valorem, & finitum: nam Ecclesia, quæ est interpres institutionis Christi cum à Spiritu Sancto regatur, Missam pro vno viuo, vel defuncto, pro vna re obtinenda, & multas etiam Missas pro vno viuo, vel mortuo, & ad eandē rem obtinendam offerre consueuit; vt ostensum est sup. *dicta sect.3. præn.4.§.5.*

Hoc modo etiam responderi potest ad superiorem instantiam de Baptismo. (Bon. *de Sacr. disp.4. q. vlt. p.4. prop.3.*

Ad Quartum Inconueniens respondetur eo modo, quo dictū est ad secūdū incōueniēs: negatur enim antecedēs, nā hoc sacrificiū habet efficaciam ex principali offerēte, & re oblata, Christo; ideo intēsiuè secundum se valoris est infini- Ad 4. Inconu.

ti; & etiam extensiuè, vt millies dictum est: & est propitiatorium, satisfactorium, & meritorium, impetratorium: atque in ipso realiter est ipse Christus: ideo maioris & virtutis, dignitatis est matrimonio, & quocunque alio Sacramento.

Ad 5. Inconu.

* Ad *quintum Inconueniens respondetur*, quòd damnum ex Adami peccato euenit ex pacto inter Deum & ipsum Adamum; *Genesis cap.* 3. *Ne comederemus, ne fortè moriamur*. At nullum pactum adest de infinito valore Missæ Bonac. *loco cit.*

Ad 6. inconu. Pauperes quomodo melioris conditionis quàm diuites.

* Ad *Sextum Inconueniens respondetur*, negari non posse, quod diuites melioris in hoc sint conditionis, quàm pauperes; cùm pluribus Missarum stipendijs subleuari possint à pœna, suis peccatis debita, & beneficia ex sacrificijs percipere. Sed pauperes minori periculo, & maiori perfectione ex paupertate, virtute Euangelica, viuere possunt quàm diuites: & inde faciliùs cœlestem gloriam obtinere: vt docuit Chri-

Christus *loco cit. Luc. capitulo sexto.* Beati *pauperes, quia vestrum est Regnum Dei.*

* Præterquam quod suffragia Missarum generalia innumera sunt, quibus pauperes & in vita, & post mortem, gaudent & fruuntur,

* Ad *Septimum Inconueniens dicitur,* valorem in Missa dupliciter considerari posse: ex opere operato, & ex opere operantis sacerdotis; vt dictum est *sup. sect. 3. prænot.* 3. §. 4. Primo modo non licet applicare valorem medium sacrificij Missæ nisi ei, cui Missa debetur vel stipendio, vel promissione, vel charitate: vt explicatum est *loco cit.* §. 1. & 2. Secundo modo potest sacerdos in memento nominare quos, & quot vult, & pro eis orare. Et hoc modo Sacerdos in Missa, quam ex obligatione pro aliquo celebrat, laudabiliter adiungere potest Collectas pro se ipso, pro patre, pro amico, & pro alijs, si ex Rubrica Missalis ea Missa plures huiusmodi collectas admittat.

Ad 7. inconu.

Multorum memoria in memento.

* Ad *Octauum Inconueniens responde-*

Ad 8. in- conu.

tur primò, suffragia Ecclesiæ dupliciter considerari posse: vel vt fiunt in communi, vel vt fiunt in particulari. Primo modo intelligendus est S. Pater Augustinus, quòd magis ei prosunt, qui magis meruit, vt sibi prodessent; cæteris paribus. Secundo modo ei magis prosunt, pro quo fiunt; alioquin non deberet homo procurare Missas specialiter pro parentibus, & pro quibus magis tenetur, S. Bonau. 4. *dist.* 45. *art.* 2. q. 3 Guiliel. de Rubio. 4. *dist.* 21. q. 3. *art.* 2 *versu, Quantum ad secundum. conc.* 4. *dub.* 1. Franc. Mayr. *dist.* 45. *art.* 1. Nico de Nisse *lib.* 4. *tract.* 7. *port.* 2. q. 3.

Suffragia communia omnibus prosunt.

* 1 *Respondetur secundò*, valorem suffragiorum ex duobus excipi posse; primo modo ex virtute charitatis, quæ facit omnia bona communia; & secundum hoc magis ei valent, qui magis plenus est charitate; quamuis pro eo specialiter non fiant. Secundo modo suffragia valēt ex eo, quod per intentionē vnius (videlicet Sacerdotis in pro-

Suffragia prosunt ei pro quo fiunt.

posito nostro) alteri applicantur. Et hoc modo non est dubium, quòd magis valent ei, pro quo fiunt. Sunt verba D.Thomæ *addit.ad 3.p.q.71.art.12.* quæ doctrina desumitur ab eo 4.*dist.* 45.*q.*2. *art.*4. & *quodlib.* 2.*q.*7.*ar.*14. Eodem modo respondet Dom.Soto 4.*dist.*45. *quæstion.*2.*art.*4.*concl.*1.

* 2 Et ita contra Caiet.*opusc.tom.*1, *tract.*16. *q.*5. & Anton. Cordub. *qq. Theolog.lib.*5.*de Indul.q.*15.*opin.*4. (asserentes suffragia non ei, pro quo fiunt; sed illi ,qui magis est dignus prodesse) tenent,ac docent.Gulielm.Altisiodor. 4.*dist.*14. *de Indul. q.* 2.*respon. ad vlt.* Ricard.4.*d.*45.*ar.*2.*q.*2. *Argēt. ar.*3.*p.*2.*conc.*2.Palud.*q.*2.*art.*1.Durand.*qu.*3.Maior, *q.*1.*conc.*3.Holcot.*q.*3.Dionys.Carthus. *q.*3. Steph.Brulef. *ibi*, *Tertiò quæritur*. Archang.Rub.*ead.dist.*45. *versu, Cùm suffragia viuorum*. Philip.Faber.4. *dist.*19. *disp.*37. *de suffrag. num.*79. Pelbar. *rosar. Theol.p.*4. *verbo* Indulgentia §.10.Ang.4. *q.de satisfact.ar.*2. *diffic. quæ incipit, Potest ne vnus ꝑ alio satisfacere.cōc.*3.Lychet.*in* ꝗ

libr.

lib.20.Scoti Auguſt.Triumph.*de poteſt. Papæ q*.32.*art*.1. Barthol.Sibil.*ſpec. peregr.quæſt.dec*.1.*cap*.3.*q*.4.*princip.qu*.3.*&* 15. Suar.*in* 3.*p.Tho*.4.*diſp*.48.*ſect*.7.Valent. *tom*.4.*diſpu*.11.*q*.1.*punc*.2.*aſſert*.6.Bellarm.*tom*.2.*li.de Purgat.cap*.18.Azor.*inſtit.mor.to.li*.10.*ca*.20.*q*.5.*& ca*.22.*q*.10. Guliel.Duran.*ration.diu.off.lib*.7.*cap*.35. *num*.21.Viguer.*inſtitut.Theol.de Sacram. Ordin.ca*.16.*verſu* 24. Benzon. *de anno Iubil.lib*.2.*cap*. 47. S. Antonin.*ſum. par*.3.*tit*.22.*cap*.5.§.6 Angel. *verbo Indulgentia numer*.21.Piſanella *eo numer*.8. Tabien.*num*.20.Armilla *num*.19.Roſella *verbo ſuffragium*; *num*.9. Syluest.*eo num*.6.*Sum.confeſſor.lib*.3.*q*.169. Aſtenſ. *li*.5.*tit*.40.*q*.5.Nauar.*de Iubil.& Indulg. not*.22.*nu*.13.*verſu*, *Sexto infertur*, *& num*. 32. *verſu*, *Septimò infertur*, *& numer*.46. *verſu His non obſtantib*.Couarr.*in cap. Alma mater*, *par*.1.§.5.*nu*.5.*&* 9.*&* 11. Petr. Soto *inſtit.ſacerd.de purg. lect*.3.*dub. vlt.* Graff.*deciſ.aur append.lib*.2.*ca*.4.*nu*.29. *& ſeqq*.Philiarc.*de offic.Sacerd.tom*.2.*p*.3. *de dogm.fid*.*c*.30.Io.Franc.Leothel.*fo*

eccleſ.

eccles par.1.cap.7.nu.31. Tolet. instru. sacerd.lib.9.cap.20. Andr. Vrcian. qq.excerpt.qu.I.art. 2. qui alios multos citat auctores sermonum & Concionum.

Ad Nonum Inconueniens dicitur, quod illatio illa; Status multorum, qui iam ad celebrãdum obstricti, noua sumunt stipendia, esset periculosus; non determinat, neque admittit, licitè posse sumi plures eleemosynas pro pluribus Missis celebrandis, & vnam tantum Missam dici; atque exinde Sacerdotes posse pacta non seruare, promissa non soluere, iuramenta promissoria frãgere & pelerare: quemadmodum non licet inferre; status fœneratoris, qui rem proximi iniustè extorquet, & apud se retinet, esset periculosus; ergo fœneratori licet rem alienam recipere, & retinere.

Ad 9. Inconuen. Exempla aliorũ non semper valent.

Ad Decimum Inconueniens dicitur, fideles Missas stipendio exquirentes, quando à Sacerdote iam obligato dimittuntur, bono sacrificij non priuari: possunt enim alium sacerdotem non obli-

Ad 10. Inconu. Sacerdotes iam obligatos an reijcere debeat potentes.

obligatum adire, à quo Missæ beneficia obtineant.

At si omnes alicuius loci sacerdotes essent obligati, nō possūt ipsi Sacerdotes propria auctoritate dispēsare, vt cōtra pactum, promissum, iuramentum, & veterem obligationem, possint plura stipendia pro vna Missa accipere, & vna Missa pluribus obligationibus satisfacere: vt infra dicendum est *sect.* 7. §. 1. & etiam § 10. *& seqq.*

SEXTVM ARGVMENTVM.

A Simili.

QVanquam multi ad vnam Missam audiendam conueniunt, non ideo singulorum audientium minuitur fructus: alioquin meliùs esset audire Missam, cui pauciores inseruiunt, vel intersunt; quod est absurdum Ergo etsi vna Missa pro multis offeratur non pronenit singulis minor fructus; sed æqualis.

Respondetur, Missæ valorem *dupliciter* considerari posse. *Primo modo intensiuè,* ratione efficaciæ, vel effectus, quo ad effici-

meritum, & satisfactionem, & sic est finitus, & limitatus: & ideo Missa pro multis oblata non æquè omnibus prodest, ac paucis, & singulis. *Secundo modo extensiuè, syncategorematicè*, seu indeterminatè, ratione offerentium, vel impetrationis: & sic valor est infinitus; ideo Missa à multis audita non minus prodest multis, quàm paucis; vt explicatum est *sect.3. præn.4. §.4. & seqq.* Quare non est similis ratio de pluribus Missam audientibus & de pluribus Missam stipendio exquirentibus.

Missa à multis audita õib. prodest.

SEPTIMVM ARGVMENTVM.

A simili.

PEr vnum actum, vt ieiunandi, potest aliquis multis obligationibus iuris diuini, & ecclesiastici satisfacere; vt qui in die Veneris ieiunat, quia est Vigilia Apostoli, dies Quadragesimæ, & Quatuor Tẽporũ, & ex voto particulari, & ex Regula Monastica ieiunare tenetur, Ergo per vnũ Missę sacrifici-

um,

um, pro multis obligationibus oblatum, potest Sacerdos omnibus satisfacere, atque adeò legitimè noua onera excipere.

Oblig. ad multa duplex.

1 *Respondetur*, obligationem ad multa dupliciter posse contingere: vel ad multa, vt ad vnum & idem numero; vel ad multa, quasi vnum & idem specie. Primo modo vnico actu pluribus obligationibus satisfacere licet, vt dictum est de ieiunio: cùm enim omnes illæ obligationes sint ad vnum & eundem numero diem, quamuis multæ sint, non potest eis vllo modo satisfieri, nisi soluendo hoc, & nunc; ideo non tenetur aliquis ad aliud; cùm obligatio non sit ad impossibile.

Secundo modo non potest vnico actu multis obligationibus satisfieri: potest enim aliquis satisfacere, aliud & aliud, nūc, vel post soluēdo. At quoniam obligatio ad plures Missas est ad hanc, & illam, nunc, aut post dicēdam; ideo Sacerdos simpliciter non satisfacit, nisi distinctè Missas celebret. Scot.

Quod-

quodlib. 20. *art.* 3. Palud. 4. *dist.* 14. *q.* 1. Abb. *& communiter Doct. in cap. ex literis de probat.* Cordub. *lib.* 1. *q.* 3. *opin.* 5. *conc.* 5.

2 *Respondetur secundò*, debita esse in duplici differentia; quædam sunt legalia, quæ ex lege, præcepto, voto, pœnitentia oriuntur: quædam realia, quæ in iustitia commutatiua cõsistunt, vt obligatio ex mutuo, emptione, venditione, & similibus. Debitis prioris generis vnico actu satisfieri potest: non autem secundi generis. Debitum duplex, legale & reale.

Nam debita legalia ex legislatoris intentione pendent: intentio verò legis, voti, præcepti, pœnitentiæ in vnum & idem opus tendere potest; vt si Confessarius pœnitenti iniungat, vt pauperi det aureum, pœnitens optimè Confessario parebit, si det pauperi, in extrema necessitate existenti, cui lege charitatis tenebatur sub mortali subuenire: & sic vnico actu duabus obligationibus satisfacit. Franc. Victor. *sum Sacram. de satisfact. num.* 205.

In debitis autem realibus attenditur

rei

rei ad rem æqualitas: ideo quia vnum debitum non poteſt eſſe æquale pluribus ſatisfactionibus, nec etiam vna & eadem ſolutione poteſt pluribus debitis ſatisfieri. Th. Sanch. *oper. mor. to.* 1. *li.* 1. *cap.* 14. *num.* 5. ex Io. Medin. *cod. de ſatisfact. q.* 4. *verſu; Corollario ſequitur.*

At quoniam debitum Sacerdotis ad celebrandum pro aliquo eſt reale iuſtitiæ commutatiuæ, vt determinatum eſt *ſup. ſect.* 3. *prænot.* 1. Ideo Sacerdos vnica Miſſa plurib. obligationibus ſatisfacere nequit.

OCTAVVM ARGVMENTVM

Præpoſitiuo adſcriptum.

A ſimili.

OPus ſpirituale eo modo communicatur, quo ſpiritus: ſed ſpiritus totus communicatur, non per partes; non enim caput minus habet de anima, eò quòd anima pedi, ac manui cōmunicatur, cùm tota ſit in qualibet parte. Ergo bonum ſpirituale, vt eſt valor ſacrificij Miſſæ, totum abſque ſui di-

diuisione communicatur, cuicunque communicetur: ergo vnum Missæ sacrificium pro multis oblatum perinde omnibus prodest, ac si pro singulis offerretur.

* Confirmatur. Bona gloriæ pluribus communicata non minuuntur singulis. Ergo bona gratiæ, qualia in Missa conferuntur, etsi multis communicentur, nihil singulis tollitur.

Respondetur negando similitudinem: nam spiritus indiuisibilis est, ideo non potest per partes communicari: bonum autem spirituale est diuisibile: gratia enim, charitas, & aliæ virtutes, à Deo hominibus collatæ, diuisionem saltem, quoad gradus, & intensionem habent: quamobrem vnus gradus gratiæ aut virtutis potest communicari vni, & alius alteri. Io. Medin. *cod. de orat. qu.* 20. *Possunt videri* Scot. *quodlib.* 20. *art.* 1. Gabr. *lect.* 27. *in can. Missæ lit.* M. Cor. *li.* 1. *q.* 3. *opin.* 5. *conc.* 3. *ad* 7.

Opus spirituale diuisionem & intensionẽ admittit.

* Ad *Confirmationem dicitur*, nõ currere similitudinem: nam gloria respicit

vnum

vnum bonum omnibus commune, & præsens: sed gratiæ suffragium respicit reatum pœnæ in singulis diuersum. Ricard. 4. *dist.* 45. *artic.* 2. *q.* 3. *ad* 3.

NONVM ARGVMENTVM Præpositiui.

Ab exemplo.

CAndela pro vno coram multis accensa omnes præsentes illuminat, & vox ad aliquem, seu apud multos prolata, ab omnibus astantibus æqualiter auditur; & medicamentum in naturali corpore vni membro viuo adhibitum, in cætera membra redundat, vt omnibus est in aperto, & innuit D. Paulus 1. *Corinth. cap.* 12. *Si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Ergo in mystico Ecclesiæ corpore vna Missa pro multis oblata prodest omnibus æqualiter: nam spirituale maioris virtutis est, & efficaciæ, quam corporale.

Respondetur negando similitudinem; exempla enim adducta non cogunt.

1 *Primò*, sicut enim candela, quæ ad vnum illuminandum defertur; & vox, quæ ad vnum edocendum profertur, illuminat, & docet omnes astantes, etiamsi pro illis illata, vel prolata non sit; & medicamentum vni membro adhibitum alijs membris prodest, quamuis illis non fuerit applicatum: ita sequeretur, vnam & eandem Missam æquè valere his, pro quib. non offertur; ac his, pro quib. offertur; quod est falsum. Ex D.Th. 4.*dist*.45.*q*.2.*art*.4.*quæstiunc*.1.*&* 2. S.Bonau.*ibid. art*.2.*q*.3. Richar.*ar*.2.*q*. 3. Duran.*q*.3. Palud.*q*.2.*art*.1 *conc*.1.*&* *ar*.2.*conc*.5. Scot. *quodlib*.20.*art*.1. Altisiodor.*sum.lib*.4.*tract.de suffrag.qu*.3. *ad vlt* Adrian.*quodlib*.8.*ar*.3. S.Anton.*sum. par*.1.*tit*.10.*cap*.2.§.3. Turrecrem. *in cap. non mediocriter dist*.5.*quæst*.2. Io. Medin.*cod. de orat.quæst*.20.

Exempla non currunt.

2 *Præterea*, lumen & doctrina, & medicamentum prosunt per modum actionis, suffragium verò Missæ per

 modum

modum satisfactionis, & solutionis debiti. D. Tho. *loco cit. quæstiunc.* 2. *ad* 1.

3 *Deinde*, illuminatio totam speciem rei visæ deferr ad oculum, & lectio totam similitudinem vocis ad aurem: & ideo nullum potest esse discrimen, nisi ex parte recipientis, qui magis, vel minus dispositus inuenitur. Non sic est de satisfactione: quamuis enim duo creditores æqualiter & simul possint vnum aureum videre, non tamen æqualiter potest solui duobus. S. Bonau. *vbi supra.*

4 *Postremò*, lumen candelæ, & vox docentis, & medicamentum membri, communicantur ex necessitate naturę; & ideo in melius dispositis melius operantur; Missæ autem suffragium ex Christi institutione, & ex libera voluntate ac intentione offerentis. Ric. Dur. Medin. *locis supra cit.* Cord. *lib.* 1. *quæst.* 3. *opin.* 5. *concl.* 3. *ad* 7. Archang. *Rub.* 4. *dist.* 45.

DECI-

DECIMVM ARGVMENTVM.

A loco D. Hieronymi.

S. Hieronymus, *relatus cap. non mediocriter de consec. distinctione. 5. Melior est*, inquit, *quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spirituali hilaritate, quam totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis, & tristitia:* ergo cum Psalmus, vel Missa pro multis dicitur nihil minus, quàm si pro vnoquoque ipsorum diceretur, accipitur.

1 *Respondetur primò*, S. Hieronymum, non suam, sed aliorum sententiam retulisse. Richard. 4. *dist.* 45. *ar.* 2. *q.* 3. Eius enim familiarismos, est ad mentem aliorum sæpissimè loqui, & eorum dogmata suis scriptis inserere; vt ipse fatetur in *epistola ad S. P. Augustinum*, quæ incipit, *Tres simul epistolas:* & adnotauit Sixtus Senensis libr. 4. *Bibliot. verbo Hieronymus Stridoniensis.* S. Hiero. multipliciter expli. catus.

2 *Respondetur secundò.* Non minus valet vna Missa cum hilaritate mentis dicta pro centum, quàm si pro singulis diceretur cum anxietate. Gloss. *In dict. cap. non mediocriter.* Scot. *quodlib.* 20. *art.* 1 Gabr. *lect.* 27. *in can. Missæ lit.* N. Non enim est minus vtile, sed fortè vtilius, Psalmum vnum, aut vnam Missam attentè, & deuotè pro multis dicere, quàm pro singulis Psalmos remissè ac indeuotè recitare. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. disp.* 79. *sect.* 12. *conc.* 3.

Valet ex parte operis operantis.

* Quare sermo S. Hieronymi intelligitur de valore Missæ, non ex parte operis operati, sed ex parte operis operantium, id est, canentium Missam; vt patet in *illo cap.* vbi est sermo de psallentibus siue Psalmum, siue Missam. Pesant. *in* 3. *par. qu.* 83. *artic.* 6. *disp.* 4. *fi.*

De Sacerdote celebrante intelligēdus.

3 Dicitur etiam, dictum S. Hieronymi intelligi de Sacerdote celebrante; quia scilicet tantum valet & prodest Sacerdoti, vt Missam celebret pro centum, sicut pro vno: valore enim specialissimo semper gaudet Sacerdos tam si

pro

pro vno, quàm si pro multis sacrificium offert. Gloss. *vbi sup.* S. Bonau. 4. *dist.* 45. *artic.* 2. *quæst.* 3. Bachon. 4. *distin.* 20. *quæst.* 3.

4 Præterea dici potest, D. Hieronymum loqui de suffragijs defunctorum: ipsumque dupliciter intelligi posse; vel quantum ad effectum congratulationis & consolationis; vel quantum ad effectuum satisfactionis, & liberationis. Primo modo ex D. Hieronymo sacrificium Missæ omnibus, qui sunt in Purgatorio prodest, quia ex charitate omnes congratulantur ei, pro quo celebratur; & consolationem percipiunt ex bono opere in sacrificio Missæ, & Dei honore, & proximi beneficio, non autem secundo modo, quo ad effectum satisfactionis & liberationis. Thom. Argentin. 4. *dist.* 45. *q.* 1. *art.* 3. *par.* 2 *conc.* 2. *ad* 4. Philip. Faber. 4. *distin.* 19. *disput.* 37. *de suffrag. num.* 79.

De suffragijs defunctorum accipitur.

* Quod ego soleo familiari exemplo confirmare, vt quando in aliqua

Exemplum

domo & familia vnus ad celeberrimam Cardinalatus dignitatem à Summo Pontifice eligitur, omnes quidem tam electus, quàm Pater, mater, & fratres eius gaudio afficiuntur: sed vnus tantùm, qui fuerat electus, biretum rubeum, & dignitatem accipit. Ita Missa dicta pro vno existente in Purgatorio omnes afficit lætitia; sed vnus, pro quo celebratur, effectum percipit satisfactionis & liberationis.

* Hæc autem deseruire etiam possunt pro solutione argumenti præcedentis, & pro declaratione exempli de lumine, de voce, & de medicamento.

Exponitur de orationib. ex charitate.

5 Denique dicendum; sententiam D. Hieronymi veram esse de orationibus, quæ non ex vi satisfactionis, sed charitatis fidelium funduntur. Durand. 4. *dist.* 45. *q.* 3. *& alij ex* D. *Thoma.*

* Ideo S. Hieronymus Psalmum Missæ coniunxit & comparauit, cùm tamen Psalmus non contineat valorẽ, sicut sacrificiũ. Ergo ad orantis deuotionem

tionem referri debet, non ad ſacrificium; vt dictum eſt *num.* 2.

Et hanc doctrinam protulit S. Hieronymus in conſolationem Monachorum; qui cum pro multis orare tenerentur, ſumma anxietate multos Pſalmos recitare ſatagebant: ideo dixit, meliùs obligationi ſatisfieri, paucos Pſalmos modulãdo cum cordis alacritate, quàm totum Pſalterium cum nimia ſollicitudine, ac tædio. Yribarn. 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *ſect.* 7.

XI. ARGVMENTVM.

A loco D. Pauli.

S. Paulus 1. *Corint. cap.* 9. *Qui in ſacrario*, inquit, *operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſeruiunt, cum altari participant.* Ergo tot ſtipendijs vna Miſſa poterit ſatisfacere Sacerdos, quo indiget ad completam ſui ſuſtentationem. Dictum S. Pauli proportione explicandũ

1 *Reſpondetur primò*, S. Pauli dictum, non abſolutè, ſed proportionaliter

ter intelligendum esse, idest, secundùm ministerium: alioquin liceret etiam Diacono, qui altari deseruit, & Acolyto, qui defert vrceolos, stipendia, vt de altari viuerent, accipere Cordub. *lib. 1. q. 4. dub. 2. opin. 2.* Roderic. *qq. regul. tom. 1. q. 43. art. 17.*

2 *Deinde*, qui altari deseruiunt, cum altari participant, non quidem plenè, & integrè; sed secundum Ecclesiæ determinationem, per legem, vel consuetudinem; quæ quidem est, vt non detur Acolyto, neque Diacono stipendium, sed Sacerdoti: in ea tamen quantitate, vt sit pars, & adiumentum sustentationis Sacerdotis. Didac. Nugn *de Sacram. tom. 1. par. 3. tract. de sacrif. dub. 9. ad 3.*

* 3 Non enim Sacerdos toto die Altari deseruit in celebratione Missæ; sed nec etiam per integrum horæ spatium. Ergo integram sui sustentationem ex stipendio Missæ exquirere non potest: vt determinatum est *sup. sect. 3. prænot. 5. §. 1. & 2.*

DVO-

DVODECIMVM ARGVMENTUM.

A causis quibusdam.

SAcerdos vnum Missæ sacrificium pro multis offerens, excusatur, si adsit vna ex quinque causis, quas adfert Paludanus 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 2. *conc.* 5.

1 Si non potest celebrare pro singulis: vel quia est Sacerdos alicuius Ecclesiæ; vel Monasterij, quorum obligationibus iam debet pro alijs celebrare, vel quia est Regularis, atque præcepto Superioris debet pro alijs sacrificare.

2 Si intercedit consuetudo, vt scilicet Sacerdos soleat multa stipendia sumere, & vnam Missam pro multis dicere: dummodo qui stipendia pro Missis dicendis exhibet, eam nouerit consuetudinem. Nam scienti & volenti nulla fit iniuria.

3 Si expressè ita pactum sit inter Sacerdotē & stipem dantem, quia contractus ex conuentione legem accipiunt.

4 Si Sacerdos alijs suffragijs, vt orationibus, ieiunijs, & similibus compenset ea, quæ illis debet, quibus Missam promisit.

5 Si magno animi affectu celebret pro omnibus illis simul, & ita suppleat.

Respondetur, hos casus nullo modo Sacerdotem à peccato mortali, & ab onere restitutionis eximere, si vna Missa multis ex stipendio Missarum obligationibus velit satisfacere; vt dictum est *conc.3.& 5.*

1 Nam primus casus non suffragatur, quia Sacerdotes Ecclesiarum, vel Monasteriorũ veteribus obligationib⁹ deuincti, earũ debẽt ꝓcurare leuamen, & subsidiũ ab Episcopo, vel à Generali Prælato, vel à Summo Pontifice, si eis non possunt satisfacere; vt infra in *respons.ad 1 ; .argum.& sect.7.§.5.& 10.& seqq.* Tantum abest, vt nouis oneribus possint satisfacere.

Consuetudo non iuuat.

2 Consuetudo non iuuat, vt dicetur *infra in respons.ad 16.argum,num.2.&*

3 Præ-

3.Præcipuè cum huic vsui petentes Missas consentire non consueuerint; qui ideo stipem offerunt, vt Missæ sibi dicantur, vt patet ex eis, quæ infra dicuntur *in resp. ad 17. argum.*

* Nisi occurrat occasio consensus, quam supra innuimus *sect. 4. conc. 4. §. 8. nu. 4.* quæ occasio rarò contingere solet. Si autem haberetur consensus expressus, & liber elargientis stipendium, nulla esset difficultas.

3 Pactum quidem excusaret, sed fideles Missam stipendio petentes, id nullo modo paciscuntur; sed volunt, vt tota Missa, quoad valorem medium eis applicetur: quemadmodum quotidiana docet experientia. Pactum excusat.

4 Alia vero suffragia non satisfaciunt: quia qui stipem pro Missa obtulit, noluit orationes, sed Missam, vt sacrificio honoretur Deus, aut Sancti, vel vt aliquid impetret, vel vt satisfaciat. Alia suffragia non soluunt.

5 Animi autem affectus Sacerdotis non sufficit, vt pro multis obligationib[9] Missarũ satisfacere valeat; cũ affe- Animi affectus in sacerdote nõ sufficit.

ctus huiusmodi sit ex parte operis operantis, valoris quidem finiti; quisi multis diuidatur, minor est singulis, qui propterea suo desiderio, & voto fraudantur: & Sacerdos infideliter & iniustè ageret, vt sæpè dictum est.

XIII. ARGVMENTVM.

A stipendio tenui.

STipendium aliquando est modicum, ac tenue, & non secundùm legem, vel consuetudinem: ergo tunc Sacerdos plurib. stipendijs receptis poterit vna Missa satisfacere.

De paruo stipendio.

1 *Respondetur*: si tanta sit paruitas stipendij, vt sacerdos legitimè præsumere possit, quòd is, qui illud contulit, non dedit, vt tota Missa pro illo applicetur: pars tantùm, quæ Sacerdoti videbitur, applicari poterit. (Nauar. *consil. tom.* 1. *li.*3. *de celebr. Missar. cons.* 8. *in fine*). Sed Sacerdos debet sic petentem instruere de congruo stipendio, vt si ille verè totam Missam exquireret, vel augeret stipendium,

dium, vel alio modo sibi consuleret.

2 *Respondetur secundò*, quòd Sacerdos non debet illud tenue stipendium recipere: vel si recepit, & non aduertit, & sacrificium iam obtulit, poterit eum cogere, qui stipem dedit apud legitimum Superiorem, vt soluat eleemosynam, lege, vel consuetudine debitam. Azor. *institut. mor. par. 3. lib. 12. cap. 6. q. 2. ibi. Quid si modicum.*

* Sed meliùs esset atque perfectius, si Sacerdos, vt dictum est, admoneret eum, qui incongruum stipendium tribuerat, vt solueret, quod iusto desit.

* 3 Si autem Sacerdos aduertit paruitatem stipendij, & tacet, debet missas tenui stipendio petitas celebrare, vt dictum est *sect. 4. concl. 1. §. 2.* Maximè verò ex Decreto S. Congregat. Concilij, quod statuit, vt vbi pro pluribus Missis plura stipendia, quantũcũq; incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum, absolutè tot Missæ celebrentur: vt videri potest in

Decretum S. Congreg. Concilii.

eiſdem Decretis ſacræ Cong.ſup. poſitis *ſect.* 5. & *in Declarationibus eorundem ibidem poſitis, ad 3. dubium.*

4 Si verò parua ſtipendia huiuſmodi ſint olim teſtamento, vel alias legata, & collata pro Capellania, Anniuerſario, vel alio onere Miſſarum: præcipuè in fundatione; vel poſt Concilium Tridentinum impoſita; certum eſt, Sacerdotem non poſſe noua aliqua ſtipendia ſumere, cùm priuata auctoritate eiuſmodi Miſſarum reſtrictio fieri non poſſit: vt infra videbitur in *reſponſ. ad* 15. *argum.* & etiam latiùs *ſect.* 7. §. 1. *& ſeqq.*

XIIII. ARGVMENTVM.

A ſimili.

IVdex in re, vbi diuerſæ ſunt opiniones, ad humaniorem & benigniorem partem declinare poteſt ac debet; quia meliùs eſt de nimia miſericordia, quam de nimia iuſtitia reddere rationem. Sed an vna Miſſa poſſit pluribus obligationi-

gationibus satisfieri, varię sunt opiniones, & ea benignior, quæ partem tenet affirmatiuam: ergo hæc teneri potest.

Respondetur, de opinionū diuersitate dupliciter nos loqui posse: *primò* iuxta forum fori, quod est exterius, *secundò* iuxta forum poli, id est, conscientiæ.

1 Primo modo, licet aliqui velint, benigniorem opinionem esse tenendam; probabiliùs est, Iudicem obligari ad ferendam sententiam secundum probabiliorem opinionem; non secundum benigniorem. Nam agitur à Iudice de iure suo vnicuique reddendo secundùm merita causæ ad hoc enim à Republica ipse delegatur: quare secundùm eam opinionem, quæ merita causæ intimius inspicit, iudicare debet.

Opinio benignior quomodo cōplectēda.

2 Præterea, qui secundum merita causæ non iudicat; sed benigniorem sequitur sententiam, in acceptionem personarum videtur incidere quæ est peccatum contra iustitiam distributiuam,

acceptio personarū circa ciuilia.

uam, & ex suo genere est peccatum mortale, quale est omne peccatum contra iustitiam. D. Tho. 2. 2. *q.* 59. *art.* 4. & *q.* 63. *art.* 1.) Acceptor autem personarum esset ille, qui ex benigniori opinione digniore prætermisso, minus digno beneficium conferret: quod est contra communem Theologorum, & Iurisperitorum sententiam: quos refert Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 34. *dubitat.* 14. *num.* 62.

Acceptio personarū in bonis spiritualibus grauior.

3 Et acceptio personarum circa spiritualia bona grauius peccatum est: nam tantò grauior est iniustitia, quantò sunt præstantiora bona, circa quæ committitur. Salon. *de iust. & iu. tom.* 1. *q.* 63. *art.* 2. *conc.* 1.

Ita communiter docent. Sotus *de iust. & iu. lib.* 3. *q.* 6. *art.* 5. *ad* 4. Ban. 2. 2. *q.* 10. *art.* 3. *dub.* 3. *conc.* 4. Valent. 2. 2. *disp.* 5. *qu.* 7. *punc.* 4. *dub.* 3. Roderic. *sum. tom.* 1. *cap.* 6. *conc.* 1. Vasq. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *disp.* 64. *cap.* 2. *nu.* 5. Azor. *instit. mor. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *q. vlt.* Sanch. *op. mor. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *nu.* 47.

4 Se-

4 Secundo modo, id est, secundum forum conscientiæ, dupliciter iterum intelligi potest.

5 Primò, quando agitur de pœna temporali, vel spirituali, hoc est, an aliquis facere, aut dare, vel pati debeat, & sic verè quidem benignior opinio eligenda est. *ex tex. in l. prima. §. quòd si Ephesi. ff. de eo. quod certo loco. cap. fin. de transac.* Angel. *verbo Confeßio 4. nu. 3.* Syluest. *verbo Confessor. 3. q. 10.* Azor. *loco cit. cap. 11. per tot.* Posseuin. *de off. cur. ca. 15. numer. 22.* Opinio benignior ib. pœnalib.

6 Secundo, quando dubitatur, an aliquid sit peccatum mortale, vel an aliquis inciderit in censuras, vel in irregularitatem, vel quoties adest periculum inferendi iniuriam alicui contra iustitiam, vel charitatem; & tunc securior ac tutior, atque strictior & durior opinio est amplectenda. Gloss. *sing. in cap. 1. de scrut. in ord. faci.* Abb. *in cap. ad aud. de homic.* Syluest. *verbo Dubium q. 4.* Cord. ex Conrado *lib. 2. q. 3. de ignorantia apud* Roderic. *in explicat. Bul. Crucia. §. 9. dub.* Opinio, tutior in periculo peccati, & censuræ.

§.9.*dub.2.in fine.* Graff. *decis.aur.par* 1.*lib.* 1.*cap.*15.*num.* 24. *& tom.*4. *consil. lib.*5.*de pœnit.& remiss.cons.*13.*num.*14. *& cons.*6. *num.*7. Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *q. vlt. punc.*7.§.2.*num.*1. At in casu nostro adest periculum inferendi iniuriam proximo stipem pro Missa largienti, qui sibi omni meliori modo vult consulere; & si sciret, sacerdotem alteri sacrificiū applicaturum, ab eo Missam non postulasset : & inde peccatum mortale cum onere restitutionis emergeret , vt dictum est in *conc.* 3. *&* 5. Ideo opinio tutior erat amplectenda.

Opinio de plurib. Missis Improbabilis.

7 Sed tandem opinio illa , quæ docebat, vna Missa pro pluribus posse satisfieri, omnem probabilitatem amisit, & ideo in eam nullus deflectere potest tanquam in probabiliorem , & benigniorem : cùm decretum iam emanauerit à S. Congregatione Concilij, quod contra illam decernit; & positum est *sup. sect.*5.

Argu-

Argumenta pro Collegiatis Ecclesijs, & Monasterijs.

XV. ARGVMENTVM,

A difficultatibus.

MVltæ ſunt Capellaniæ, legata Anniuerſaria, & aliæ huiuſmodi obligationes, quæ certum Miſſarum numerum ex inſtitutione teſtatorum requirunt: annui autem eorum reditus, non ſolùm ſtipendia, lege, vel conſuetudine definita, interdum non continent: ſed longè minoris valoris exiſtunt: Et præterea numerus Sacerdotum dictarum Eccleſiarum eſt diminutus; & expenſæ, tam quoad victum, quàm quoad veſtitum maiores fiunt. Ergo Sacerdotibus huiuſmodi Eccleſiarum noua ſtipendia, & legata licebit accipere, & vna, vel paucis miſſis pluribus oneribus ſatisfacere.

Reſpondetur, propria Sacerdotum auctoritate id nullo modo licere; ſed ex diſpo-

diſpoſitione Epiſcopi, vel Prælati Generalis Regularium, quoad onera ante Concilium Tridentinum, & non in fundatione impoſita, & quo ad alia ex diſpenſatione ſummi Pontificis, qui ſolus in relictis, & donatis ad pias cauſas, rationabili cauſa interueniente, diſpenſare poteſt. Nauar. *conſil. tom.* 1. *lib.* 3. *de celebrat. Miſſar. conſ.* 9. *nu.* 9. Sed de hoc infra latius *ſect.* 7. §. 5. *&* 10.

XVI. ARGVMENTVM.

Ab exemplo.

MVltę Eccleſiæ & Monaſteria, etſi antiquis obligationibus maximopere premantur, noua legata, atque ſtipendia ſæpe accipiebant, Sed non videtur conueniens dicere, tot Sacerdotes Eccleſiarum, & Religionum vbi ſunt viri doctiſſimi, in re tanta omnes erraſſe: ergo id licitum fuit; & conueniens.

1 Reſpondetur, non quidem dicendum

endum, tot viros tot Ecclesiarum ac Religionum doctrina instructissimos hoc errasse: sed quia maiorem numerum Sacerdotum, quam obligationum haberent, noua stipendia, & nouas obligationes excepisse: vel nouis oneribus aduenientibus, nouos alios Sacerdotes quæsiuisse, eorumque numerum auxisse, vt sic obligationibus commodè possent satisfacere.

Consuetudo non preferenda rationi.

2 *Respondetur etiam*, consuetudinem, quæ aliàs habet vim legis, in negotijs moralibus, ad salutem animæ spectantibus, aliquando non suffragari: nam *consuetudo sine ratione & veritate, vetustas erroris est*; vt loquitur S. Cyprianus *epist. ad Pompeium contra epist. Steph.* Et *nemo consuetudinem rationi & veritati præponat:* vt docet S. Pater Augustinus, *libr. 3. de baptis. contra donatist. cap. 6.* & refertur *in cap. veritate manifestata, dist.* 8. Ideo appositissime Tertullianus, *lib. de veland. virginib. in princ.* animaduertit Christum Dominum se, non consuetudinem, sed veritatem appellasse. Auctoritas au-

tem

tem siue hominis, siue humanæ legis rationi cedere debet: nam, vt asserit D. Thomas. 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. ratio est regula & mensura actuum humanorum. Paul. Comitol. *respons. moral. lib.* 5. *q.* 15. *causa* 8.

Consuetudinis conditiones.

3 Inter legitimæ autem consuetudinis conditiones, quæ ex Panormitano *ad cap. vlt. de consuet.* & communiter ex Summistis eliciuntur, vna est, quòd consuetudo sit rationabilis. At quoniam, an aliqua consuetudo rationabilis sit, difficile est determinare; sed in hoc standum est prudentum arbitrio, vt aduertit Hostiensis *sum. de consuet.* §. 1. ideo in foro conscientiæ consuetudo rationabilis prudenter iudicabitur, quæ non repugnat felicitati animæ, neque peccatum nutrit. Regin. *prax. for. pœnit. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 23. *p.* 1. *sect.* 1. *num.* 243. *ex* Panorm. *loc. cit. num.* 5. Quare si aliqua consuetudo peccatum mortale, cum onere restitutionis inuolueret: atque cultum diuinum, & com-

Prima, quod peccatum non nutriat.

mune

mune beneficium Ecclesiæ diminue-ret, non esset rationabilis; vt in casu nostro contingit: Imo hanc consuetudinem repugnare iuri naturæ, ac diuino, cum sacrificium Missæ non sit infiniti valoris, nec æquè prosit pluribus, ac paucis; & qui petit stipendio Missam, totum sibi sacrificium applicari intendat, docet doctissimus Bonacina *de Sacram. disputation. 4. quæst. vlt. punc. 7. §. 2. num. 1.*

Secunda quod sit recepta consentiẽte Principe.

4 Altera conditio iustæ consuetudinis est, vt publicis moribus sit recepta, sciente, & consentiente Principe, atque approbante, & non puniente, etiam si res in iudicium adducatur. Sot. *de iust. & iu. lib. 1. q. 7. art. 2.* Barthol. Medin. 1. 2. *q. 97. art. 3.* Martin. Ledesm. 2. 2. q. 17 *art. 6. dub. 6.* Valent. *tom. 2. disp. 7. q. 5. punct. 8.* Syluest. *verbo Consuetudo qu.* 3. Io. Medin. *Cod. de ieiunio quæstion.* 8. Caietan. *sum. verbo Ieiunium.* M. *Anton.* Cucch. *in maior. institution. lib. 1. tit. 9. numer. 9.* Sayr. *clau. reg. tom. 1. libr. 3. cap. 11, num. 3. & 5:* Sed in casu nostro Summus

mus

mus Pontifex eiuſmodi conſuetudinem non approbat.

Tum quia ſummi Pontifices, & Concilium Tridentinum à Pontifice comprobatum, priuilegia & facultates pro obligationum reſtrictione concedunt, vt pluries dictum eſt ſuperius.

* Tum quia auctoritate ſummi Pontificis per Decreta Illuſtriſſimorum Patrum S. Congregationis Concilij hæc conſuetudo, quam ipſi vocant *teterrimum abuſum*, abrogata eſt: vt in prædictis Decretis ſupra poſitis *ſect.* 5. videri poteſt.

XVII. ARGVMENTVM.

A conſenſu petentium Miſſas.

EXcuſatur Sacerdos à peccato mortali, & conſequenter ab onere reſtitutionis, qui vna Miſſa pluribus Miſſarum obligationibus ſatisfacere quærit, ex cōſēſu expreſſo, aut ſaltē tacito illi⁹, qui ſtipem dat, aut legat: Nauarr. *Man. cap.*

cap.25.num.92. Nam volenti non fit iniuria. At legans, vel aliter ſtipendium exhibens eiuſmodi Eccleſijs, conſenſu ad minus tacito, annuere videtur, vt vna, vel paucis Miſſis, pluribus ſatisfiat: cognoſcere enim poteſt ex multis reditibus dictarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & ex nobilitate ac magnificentia fabricæ, & ex multitudine Altarium, & ſepulturarum, & Sacerdotes multis obligationib. antiquis, & nouis eſſe aſtrictos, & crebras exequias Miſſarum in ſepeliendis in dictis Eccleſijs, & Monaſterijs defunctorum corporibus, præter annuas, & ordinarias, ſolitos eſſe celebrare: & conſequenter non pro omnibus Miſſis legatis, vel alias obligatis, ſingillatim ſatiſfacere. Ergo qui dictis Eccleſijs, vel Monaſterijs noua ſtipendia dat, aut legat, tacitè conſentit in participationem Miſſarum, non celebrationem pro ſingulis exquirit.

Reſpondetur, nullum apparere conſenſum dantis, aut legantis ſtipendium. Conſenſus expreſſus.

P Quo-

1 Quoniam qui particularia ſtipendia exhibent, petunt Miſſas particulares, vt de B. Virgine. de aliquo Sancto, de Requiem pro vno, vel pro vna defuncta; & ſæpe in tali Altari celebranda, & interdum eiſdem Miſſis perſonaliter interſunt. Et crebrò (vt maximè in defunctorum exequijs) vir aliquis à largientibus ſtipendium deputatur, qui numerum Miſſarum, quæ ſingulariter dicuntur notet, atque ſcribat, earumque dictarum præciſo numero ſtipem conferat. Ideo in particularibus aduentitijs ſtipendijs non eſt tacitus conſenſus præſumptus.

2 Nec etiam adeſt in beneficijs Anniuerſarij, Miſſæ quotidianæ, aut ſimilis obligationis. Nam ex Notariorum tabulis manifeſtè apparet, annua ſtipendia legantem expreſsè petere duas, vel tres Miſſas in hebdomada, vel quotidianas, vel Anniuerſarias, & quoad Capellanias in hoc, vel illo Altari dicendas: & verſa vice Sacerdotes ſecundum formam ſtipulationis medio iura-

iuramento, promittunt, & obligant se ad Missas, vt petitur, celebrandas. Quare nulla apparet expressa, vel tacita consensio.

3 Quanquam verò ea stipendia dantes, aut legantes, reditum vberem, & solemne ædificium Ecclesiæ, vel Monasterij cognoscunt, rationabiliter tamen existimant, secundum redituum, ac stipendiorum, siue obligationum accessionem, numerum etiam Sacerdotum in dies adaugeri, qui nouis Missarum stipendijs satisfacere possint. Quod contra accidit in aliquibus Ecclesijs & Monasterijs, vbi etsi legata & reditus excrescant, numerus Sacerdotum interdum diminuitur.

Argumenta præcipuè pro Regularibus.

XVIII. ARGVMENTVM.

A Priuilegio.

Regulares in Missarum oneribus subsidio fruuntur ex Concilio

Tridentino *seſſ. 25. cap. 4. de reform.* quo Prælati Generales Religionum, in Generalibus Capitulis poſſunt ſtatuere, vt celebratione tot Miſſarum, & recitatione Officij defunctorum; vel alio modo; numerus dicendarum Miſſarum diminuatur. Ergo hoc ſubſidium ſibi applicare, & ſic antiquis obligationibus exonerati, noua ſtipendia, & legata poterunt excipere.

Reſtrictio Miſſarum [li]mitata.

1 *Reſpondetur*, hoc ſubſidium valere ſolummodo in obligationibus ante Concilium Tridentinum impoſitis; & non de Miſſis in fundatione appoſitis: ſed pro alijs cauſis à teſtatoribus relictis: vt *infra ſect. 7. §. 5.* Et quæ ibi adnotantur profundè perpendenda.

Onera autem maiora, & grauiora ob iuſtiora & pinguiora ſtipendia Monaſterijs poſt Concilium Tridentinum vt plurimum obuenerunt; ideo hæc facultas modicum aliquando præbet fructum, ad nouas licitè obligationes obeundas.

2 Præterea, ſi omnes conditiones, à

Prælatis Generalibus in Missarum diminutione assignatæ, non seruantur, fuit indultum etiam pro oneribus ante Concilium Tridentinũ receptis. Vt si Prælatus iam inductas obligationes ita moderetur, vt omnes Missæ Conuentus cum officio defunctorum dicantur; sicque obligationi centum Missarum satisfiat; eo autem die, qui pro centum Missis destinatur, acceptentur aduentitia stipendia pro Missis votiuis (quod sæpè accidit) & ita omnes Missæ Conuentus non dicantur, Monasteria prædicta beneficio huius priuilegij non fruuntur; conditione omnium dicendarum Missarum Conuentus non obseruata.

XIX. ARGVMENTVM.

Ab Euasione.

NOnnulli ex Regularibus onus conscientiæ in similibus nouis obligationibus acceptandis, in eorum Superiorem, & Sacristam reijciunt; dicentes, illorum partes esse accuratè inuigilare, vt oneribus à Monasterio ac-

ceptis in celebrandis Missis satisfiat, & Deo de transgressione illos rationem reddere debere: ergo Regulares subditi hoc antidoto noua legata, & particularia stipendia tuta conscientia possent admittere.

Respondetur, hanc rationem nullo prorsus niti fundamento.

1 Nam Prælati Monasteriorum in his obligationibus recipiendis nullam habent aliam maiorem præ cæteris auctoritatem, quàm ius proponendi eas Patribus Capituli; cum quibus postea vno tantùm suffragio, sicut & singuli alij, partem affirmatiuam, aut negatiuam complectuntur. Ideo totum corpus Capituli Monasteriorum, non Prælati solum, obligationi se nectit.

Prælati Regularis auctoritas i recipiẽdis Missarum oneribus.

2 Deinde euenire potest, vt Prælati, & Sacrista longè minorem numerum Sacerdotum persæpe in eorum familia habeant, quam veteres requirant obligationes: tantum abest, vt possint curare, vt nouis satisfiat. Quare vanum est hoc onus in Prælatum, & in Sacristam reijcere.

VIGE-

VIGESIMVM ARGVMENTVM.

Ab Euasione.

EX Constitutionibus quorundam Regularium in publica quadam actione Prælatus inter cætera, hæc verba publicè profert : *Et si quæ essent obligationes , vel eleemosynæ datæ pro aliquibus animabus , pro quibus non esset plenariè satisfactum ob aliquam negligentiam , vel obliuionem : ergo accepto eas ad participationem Missarum , & omnium bonorum nostrorum , donec fuerit pro eis satisfactum coram Domino Deo.* Ergo licet Regularibus noua legata, & alia stipendia suscipere ; cùm defectus obseruationis promissi , prædictis Prælati verbis suppleatur.

Respondetur , dictum præfatarum Constitutionum præsupponere, Prælatum habere maiorem numerum Sacerdotum , quam obligationum: ideo prædictus defectus negligentiæ , vel obliuionis tunc posset participatio-

ne Missarum, quæ alicui non obligatæ sed liberæ sunt, compensari. Nam si eiusmodi verba Prælati supradictis defectibus suffragarentur, superfluum esset priuilegium diminutionis Missarum ex Capitulis Generalibus Regularium vigore Concilij Tridentini supra relati in argum. 16. & *infra sect.* 7. §. 5. Si enim sufficeret dicere: *Ego accepto eas* &c. frustra aliæ inquirerentur dispensationes.

Sum. Pont. plenè Missas reducere potest.

Solus autem summus Pontifex circa huiusmodi nouas obligationes, & legitima quidem causa interueniente, dispensare potest, vt infra eadem *sect.* 7. §. 1. & 12. habetur. Tantum abest, vt possit Prælatus alicuius Monasterij.

XXI. ARGVMENTVM.

A Priuilegio.

PRiuilegium habetur Iulij 2. *constitution.* 7. & Leonis 10. *constitut.* 8. *apud Confect. in Collect. priuileg.* quo quidem Generales Prælati Regularium

ratio-

ratione cõmunicationis priuilegiorũ, possunt cum suis Sacerdotibus dispensare, vt celebratione vnius Missæ cum nouem Collectis, possint satisfacere pro nouem Missis, etiam si particulariter de Requiem, vel de alijs Sanctis essent dicendæ, vt infra *sect*. 7. §. 9. Sed de rigore iuris hoc priuilegium potest intelligi, vt prædicti Generales Prælati possint etiã subditis Sacerdotibus facultatem concedere eleemosynam recipiendi pro Missis in posterum dicendis; iuxta Theologos illos, qui putant concessionem Indulgentiarum, vel potestatem dispensandi super voto, & alijs huiusmodi includere ea, quæ post illam contingunt. *Apud* Nauar. *consil. tom.* 1 *lib.* 3. *de celebrat. Missar. consil.* 10. *numer.* 3. Ergo poterunt Regulares noua legata, ac stipendia manualia suscipere, & postea illa sibi indulgenda facultate eis satisfacere.

Respondetur, Generales Ordinum prouido moderamine debere hanc dispensationem exhibere: videlicet, vt primò

Priuilegiũ Missæ cum nouem collectis moderamẽ.

primò eis probetur, stipendia hæc pro Missis sumpta esse ratione fabricæ, vel necessitatis fratrũ: deinde vt statuãt, vt illæ Missæ dicãtur, quæ commodè à dictis Patribus celebrari possũt, & quoad alias dispensent: & denique vt omnia bona Ordinum communicent, & applicent his, qui stipendio Missas illas instituerunt tanta quantitate, quæ beneficio, & intentioni eorum respondeat: *vt ex Nauarr. vbi sup. nu. 5. dicetur inf. sect. 7. §. 9.*

Priuilegia nõ fauent futuris Missarum oneribus.

Respondetur secundò, non posse dictos Prælatos eam dispensationem exhibere pro Missis in posterum dicendis.

1 Quoniam dispensatio, & absolutio peccati non debet dari antequam peccatum sit commissum, ne detur occasio propinqua peccandi *contra cap. ex parte. de consecr.*

2 Præterea, non decet Patres Sacerdotes, viros perfectioni incumbentes onus dicendi Missas dolo suscipere cum proposito onus tollendi, & sa-

& ſacrificia non offerendi.

3 Ad ampliùs non eſt eadem ratio de conceſſione Indulgentiarum, vel de poteſtate diſpenſandi vota, & huiuſmodi, & de diſpenſatione recipiendi ſupradicto modo ſtipendia pro Miſſis; nam licèt aliqua occaſio peccandi tunc dari videatur, non eſt tamen tam propinqua, neque tam indecens, vt in violatione promiſſi, & defraudatione beneficii viuorum, & defunctorum. Nauarr. *dicto conſil.* 10. *numer.* 3.

* 4 Tandem, dato quod hæc diſpenſatio poſſet olim fieri, nunc habemus Decretum S. Congregationis Concilij in contrarium, ſup. relatum *ſect.* 5. his verbis, *Sacra Congregatio, eadem auctoritate reuocat priuilegia & indulta omnia, quibuſuis perſonis, Eccleſijs, ac locis pijs, tam ſecularibus, quàm regularibus cuiuſcunque Ordinis, Congregationis, & inſtituti, quamcunque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorũ celebratione, aut aliquibus Collectis,*

Decretum S. Cgõgreg. Concilij.

lectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat. Quæ quidem verba; *In futurum suscipiendis*, intelligenda sunt de oneribus suscipiendis post priuilegium: vt determinatur in Declarationibus prædictæ S. Congregationis super Decretis de celebratione Missarum, *ad 6. dubium*: vt habetur *in citata sent. 5.*

XXII. ARGVMENTVM.

A Priuilegio.

PAtres Benedictini priuilegium à Sixto 4. obtinuerunt, quòd quibuscunque verbis vtantur legantes, vel testantes, seu alij imponentes, & acceptantes Missas, intelligantur ijs tales ad participationem tantùm admissi, & non ad totum Missæ effectum. Graff. *decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 45. num. 23.* Ergo ex priuilegiorum communicatione Regulares omnia noua stipendia & legata accipere possunt, & paucis Missis omnib. satisfacere.

1 *Respondetur* mirum esse, Doctores, qui Regularium sunt studiosi fautores, qui

quique eorum gratijs, & priuilegijs euehendis, summam nauarunt operam, huius indulti nullam mentionem fecisse; nam Rodericus *in suis qq. regular. præcipuè tom.* 1. *q.* 43. vbi de Missa. & Alphon. Casarub. *auctor compendij priuilegiorum cum additionibus Cordubæ*, & Hieronymi à Sorbo, & Confect. *in eorundem priuileg. collect.* nec verbum quidem, quod ego repererim, de hac re; cùm tamen priuilegium Iulij II. & Leonis. X. quo satisfieri possit vna Missa pro pluribus stipendijs, non æquiualentibus valori vnius Iulij, & de nouem collectis vnius Missæ, quæ pro nouem Missis satisfaciat, ipsi recenseant; vt dictum est hic supra *in* 21. *argum.*

2 Ea tamen concessio est apud eundem Rodericum in noua *Collectione priuilegiorũ Regulariũ pag.* 210. *col.* 2. *edit. Venetæ* 1611. *apud societatẽ Minimã.* Quã quidẽ concessionem Nicolaus Franeus Sixti 4. Nũtius in Hispanijs cũ potestate Legati de latere anno 1478. Monasterio S, Benedicti Vallisoletano, & sibi sub-

bi subiectis impertitus est, quæ non tam latè sonat, quàm à Grassio affertur; eamque ipse propter fraudem, & conscientiæ periculum, non multum probat. Verba indulti sunt hæc: *Vt quascunque eleemosynas, vel quæcunque legata, & etiam pro tempore, perquascunque personas supradictis Monasterij huius obseruantiæ pro perpetuis Capellanijs, vel alias, liberè, & licitè possint ea recipere, habere, & retinere sine prædicto onere; ipsi tamen benefactores, vel defuncti participes sint benefactorũ cõmuniũ in dictis Monasterijs fiendorum.*

Priuilegiũ particulare Regulariũ an cõmunicetur.

3 Sed dicendum est, an hoc priuilegium cœteris Ordinibus Regularium communicatum sit, non esse indubitatum: nam priuilegia Domibus particularibus alicuius Ordinis Regularium cõcessa nõ omnibus Domibus & locis eiusdem Ordinis, & multò minus alijs Ordinibus communicantur. Quoniã cõmunicatio vniuersalis priuilegiorũ intelligitur de priuilegijs generaliter Religionibus cõcessis, ita declarauit Leo X. cõmunicationis priui-

legio-

legiorum impertitor apud Collectorem Compendij Priuilegiorum. *titul. communicatio priuileg.* §.22.

4 Docet quidẽ ipſe Rod.*tõ.*1.*qq.reg.* *q.*55.*art.*18.ex quodam indulto Pij IV. & Sixti V.priuilegiũ vni, aut quibuſdã Monaſterijs vnius Ordinis conceſſum ad omnia,& ſingula Monaſterij eiuſdẽ Ordinis extendi.Et idẽ tenet Ioã.Cruz *de ſtatu religio.lib.*2.*cap.*4.qui ait, declarationẽ Leonis X.intelligẽdam eſſe de priuilegijs,ſingulis Religioſis conceſſis,quæ non communicantur alijs, etiam eiuſdem Ordinis.

5 Sed nõ paruæ inde exoriri poſsũt aliquando difficultates; vt ſi in aliqua Religione,Prouincia aliqua, vel Congregatio Pontificijs priuilegijs(vt re ipſa iã accidit)à iuriſdictione ſui Prælati Generalis modo in multis, modo in omnibus exẽpta ſit,ſequeretur, quodlibet Monaſterium dicti Ordinis ab eadem iuriſdictione liberũ eſſe, & exemptum:& exinde Prælatus Generalis ſine Religione diceretur. Quod quidem repugnare menti , & intentioni

summi Pontificis, priuilegia fauorabilia communicantis, satis apertum est. Quamobrem multò magis affirmari posset, priuilegia locis particularibus alicuius Ordinis concessa, omnibus alijs Religionibus non esse communia, ne prædictæ difficultates fierent vniuersales. Hoc autem aliquo modo eliciturétiam ex ipsomet Roderico, *loco cit. q. 7. ar. 2.* vbi docet, quod quando per priuilegium conceditur exemptio alicui Monasterio, non extenditur ad Monachos aliorum Monasteriorum.

6 Si verò ex prædictis indultis, Pij IV. & Sixti 5. priuilegium quibusdam locis vnius Ordinis concessum, omnibus Monasterijs eiusdem Ordinis, & per communicationem priuilegiorum omnibus alijs etiam Ordinibus verè est commune: atque indultum Nuntij Sixti 4. ad omnia Monasteria omnium Ordinum extendi posse, id quidem intelligendum esse videtur, existentibus ijsdem conditionibus, & necessitate; quan-

quando scilicet Religiosi alicuius Monasterij, vel totius Ordinis maiorem temporis partem in cultu diuino, & alijs strictioris & perfectioris vitæ operibus insumũt: & simul magna vexatur paupertate, sicut Religiosis S. Benedicti Vallisoletani tunc accidebat, qui reformati, vt vocant, & sub perpetua clausura viuebant, vt patet in supradicta noua Collectione priuilegiorum Regularium Roderici ex Bulla 41. Sixti 4. Nam priuilegium cessat, cessante causa priuilegij: *iuxta cap. cum cessante. de appellat.* Panorm. *de verb. signific. cap.* Abbate. Syluest. *verbo Priuilegium qu.* 10. §. 4. Suar. *latè lib. 8. de Legib. cap.* 30. Azor. *inst. mor. par.* 1. *lib.* 5. *ca.* 22. *q.* 14. Reginald. *prax. fo. pænit. lib.* 13. *ca.* 22. *numer.* 238. Quod benè valere in foro conscientiæ asserit idem Roderic. *qq. regular. tom.* 1. *q.* 9. *art.* 10.

Priuilegiũ cessat, cessante causa priuilegii.

7 Sed & scrupus erumpit: nam inter Patres Concilij Tridentini multi, & eximij fuerunt Prælati, & Doctores

Re-

Regulares, ad centum videlicet & quadraginta, vt ex catalogo legatorũ, Patrum, Oratorũ, ac Theologorum, qui vnà cũ Concilio Tridentino edi cõsueuit, haberi poteſt; quos omnes priuilegium Sixti IV. & communicationem priuilegiorum Leonis 10. ignoraſſe, nec licet ſuſpicari. Quare ſi hoc priuilegium tam latè Regularibus ſuffragaretur, incaſſum ipſi Prælati & Doctores Regulares cũ cæteris S. Cõcilij Patribus Spiritu ſancto dictãte, ſerio tractaſſet de Miſſarũ ſubſidio, ne deperirẽt piæ teſtantium voluntates, & ne dictorum Regularium, ſicut & aliorum etiam Sacerdotum, conſcientiæ onerarentur; atque fruſtra indulſiſſent, vt in Capitulis Generalibus à Generalibus Prælatis Ordinum, re diligenter inſpecta, numerus Miſſarum diminui poſſit, *ſeß. 25. cap. 4. de reform.* Et fruſtra Regulares hoc ſubſidium exquirerent, eoque vterentur.

8 Præterea; vanum eſſet prædictum indul-

indultum Iulij 2. & Leonis 10. de vna Missa cum nouem Collectis pro nouem Missis, omnibus Religionibus per communicationem priuilegiorum cõcessum; priuilegium enim Nuntij Sixti IV. tam amplum est, vt reliqua non videantur necessaria.

9 Ampliùs, huic priuilegio facessit negotium, quòd nullus inferior à Papa, licèt Apostolicæ Sedis Legatus esset, mentem fundatorum ad vsus pios disponentium, alterare potest; vt apertè docet ipse Graffius *decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 53. num. 11. quem sequitur.* Ioan. Franc. Leo. *Thesau. fo. ecclesiast. p. 2. cap. 11. de voto & voti dispens. numer. 33. & 34.* & Paul. Pinsec. *prax. episcop. par. 2. cap. 3. de visitat. benef. simpl. ante numer. 31. ex Clem. 2. ante med. & ibi Gloss. in verb. sedis Apost. 1.* & Abb. *de relig. dom. numer. 3.* Felin. *in c. cum accessissent. numer. 17. in fin. de const.* Hoc autem præclarè determinauit S. Congregatio Concilii, & plenius habetur infra *sect. 7. §. 5. numer. 5.*

Papa solus mitat dispositiones ad pias caussas.

Dein-

10 Deinde, priuilegia omnia, quibuscunque locis, & personis concessa, reuocantur, quando aduersantur statutis, & decretis Concilij Tridentini, ex Bulla Pi, IV. quæ incipit. In primis. Romæ Calend. Martij 1565. Sed Concilium Tridentinum statuit, ac decernit remedia, & legitimas reductiones Missarum ipsorum Regularium, in suis Capitulis Generalibus præscribendas: ideo dubitationes validitatis prædicti priuilegij excrescunt.

11 Et quamuis in supradictis Bullis Pij IV. & Sixti confirmationis, & dilatationis priuilegiorum; exprimantur fauores, & gratiæ, non solùm per quoscunque summos Pontifices; sed etiam per eorum Legatos, & Nuntios in genere, & in specie concessæ: hoc videtur intelligendum de illis fauoribus & gratijs, quæ à Nuntijs & Legatis Sedis Apostolicæ potuerunt concedi, & reuera concessæ fuerunt; & quæ consentiunt Concilio Tridentino.

12 Et his fortasse de causis Docto-

res Regularibus fauentes prædictum priuilegium sub silentio præterierunt, & Patres Concilij Tridentini Missarum indulserunt restrictionem: & iisdē rationibus tā ipsā reductionē, quàm indultū Iulij II. & Leonis X. ac reliqua subsidia à Regularibus magnifieri cernimus, & obligationibus Missarum applicari: quæ omnia superflua illis essent, qui eo priuilegio amplissimo vti vellent.

13 Sed si hoc priuilegium legitimum, & validum est, iam est reuocatum quo ad obligationes Missarum in posterum recipiendas, decreto S. Congregationis Concilij, quod superiùs positum fuit in *respons. ad 21. argument. nu. 4. & sect. 5. cum alijs Decretis de celebr. Missar.*

XXIII. ARGVMENTVM.

A Regulis Iuris.

FAuores ampliandi sunt, & priuilegia Principum plenissimè interpretanda; iuxta illud; *Odia restringi, fauores autem conuenit ampliari. De reg. iur. in 6.* Gratiæ ampliādæ

Reg.

Reg. Odia. *& l. beneficium ff. de const. princip. & c. quia circa: de priuileg. & cap. dilecti ad fi. de donat. & ca. olim. de verb. signif.* Ergo Regularium priuilegia prædicta amplianda sunt, non restringenda.

1 *Respondetur primò*, priuilegia largè quidem esse interpretanda, maximè si concessa sint in gratiam Religiosorum, quando tamen non sunt in præiudicium alterius. *ex l. 2. §. meritò. ff. ne quid in loco, & sic* Innoc. & Gloss. Io. Andr. Butr. Abb. *in capit. olim. de verb. signific.* Sanch. *de Matrim. tom. 2. lib. 8. disp. 1. art. 4.* Sayr. *clau. reg. lib. 6. cap. 11 numer.* 119. Quare cùm summus Pontifex priuilegium alicui concedit, non vult vt eo vtatur cum alieni iuris iactura, *cap. ex tuarum. deduct. & vsu pall. cap. liceat de off. ordin. cap. licet. de translat. apud* Azor. *institut. mor. par. 1. lib. 5. ca. 23. q. 2.* Quod latè probat ipse Grassius *Consil. tom. 1. libr. 5. de priuileg. consil. 2. difficult. 3. num. 1. & seqq.*

Sum. Pont. plenè Missas reducere potest.

2 Ideo priuilegia tunc strictè sunt interpretāda, etiamsi cōcessa sint cau-

Priuilegia strictè intelligenda.

ſa pietatis. Abb. *de eccleſ. ædiff. vel reparand. c. cum dicat.*

3 Et multò magis, quando priuilegia ſunt in præiudicium diuini cultus. *extra de conſtit. cap. pen. apud.* Graff. *conſil. tom. 2. li. 3. de cler. non reſiden. conſ.* 1. *n.* 26.

4 Si autem *inſtetur*, in priuilegio propoſito rem alterius non auferri, neque alteri donari: ſed Papam ſolummodo immutare voluntatem teſtatoris ex cauſa: ideo non eſt in præiudicium alterius.

Hoc non videtur *omninò conuincere*, nam in diminutione, ſeu potiùs diſpenſatione Miſſarum ad præſcriptum dicti priuilegij, non ſolum attenditur voluntas teſtatoris, quæ immutetur ex cauſa, ſed etiam commune beneficium Eccleſiæ, & eſt particulare viuorum ac defunctorum, & præcipuè diuini cultus: quoniam Miſſæ celebratio nō ſolū perpēditur propter Chriſti fideles, ſed præcipuè quātum ad Deū, cui in Miſſa ſacrificiū immolatur, vt bene ait Dionyſius Carthuſianus *ſum. fid. orthod. tom.* 2. *lib.* 4.

2. *libro.* 4. *articul.* 116. *numer.* 5. Cultus autem diuinus, qui ex multiplicatione ſacrificij Miſſæ exceſcit, reſtrictione Miſſarum minuitur, vt ſæpius dictum eſt ſuperiùs. Ideo priuilegium huiuſmodi non videtur latè interpretandum,

Priuilegia quando ſtrictè interpretãda.

5 *Reſpondetur ſecundò*, ſi priuilegium aliquo modo occaſionem peccandi præbeat, ſtrictè intelligendum eſſe; quia præſumere debemus, intentionem Principis non eſſe peccata fouere, Azor. *loc. cit.* Reginald. *prax. fo. pœnit. tom.* 1. *lib.* 13. *reg.* 3. *nu.* 36. At ipſe Graffius, qui prædictum indultum protulit, ſtatim periculum conſcientiæ, & fraudis fœditatem propoſuit, & obiecit, *vbi ſup. deciſ. aur. par.* 1. *lib.* 2. *c.* 45. *num.* 23. Ideo non largè illud eſt accipiendum.

XXIIII. ARGVMENTVM.

A minori.

A Sacro Concilio Tridentino in prædicta *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de reformat.* conceditur Epiſcopis, & Prælatis Generali-

neralibus Regularium ; vt Missarum onera possint restringere. Ergo multò fortiùs id poterit Papa, qui secundum communem Doctorum sententiam est supra Concilium.

1 *Respondetur*, non disputari in præsentiarum, an Papa hoc priuilegium concedere valeat: id enim affirmatur, & contra aliquos sustinetur *infra sect.* 7. §. 11. *&* 12. *& seqq.* Sed hic dubitatur, an Papa illud vnquam indulserit; non obstante quod Nicolaus Francus, Sixti 4. Nuntius, Monasterio Benedictino Vallisoletano illud concesserit. Et ratio dubitandi est, tum ex difficultatibus superius adductis *in resp. ad* 22. *argument. à numer.* 5. *&* inf. Tum quia in Bullario nouo; quod summa diligentia nouissimè congessit Laertius Cherubinus, concessio huiusmodi sub Sixto 4. aut alibi non habetur. Tum vel maxime quia nullus inferior à Papa, neque Apostolicæ sedis Legatus, voluntatem fundatorum ad pios vsus alterare potest; vt dictum est *loco citato*

nu.9. & clariùs dicetur *infra sect. 7. §.5. num.5 & 7.& seqq.*

Limitationes indulti Concilii Trident. de diminutione missarum.

2 Præterea magna est dissimilitudo inter indultum Concilij Tridentini & priuilegium Nuntij Sixti 4. Indultum enim Concilij multis limitationibus arctatur; quia scilicet est onerum præteritorum tantum, quibus vel ob maximum numerum, vel ob eleemosynarum tenuitatem satisfieri nequit: ideo solum ex causa, & necessitate illo vtendum est, & diligenti quidem rei inspectione, & propriæ conscientiæ dictamine, & lege propter Dei cultum; & honorem, & ecclesiarum vtilitatem; vt patet ex verbis Concilij. Et non valet quoad Missas in fundatione, aut dotatione Ecclesiæ, vel Altaris impositas: nec valet quoad Missas votiuas, vel pro defunctis, quæ à particularibus personis in dies stipendio petuntur: neque valet quoad Missas, quæ stipendijs in futurum sunt exquirendæ: proùt demonstrabitur infra *sect.7.§.5.à nu.5.& seqq.*

At

At priuilegium Nuntij Apostolici supradicti indistinctum est, ac vastissimum, & omnium Missarum tam præteritarum, quàm futurarum onera, & obligationes obruit faciliter, & feliciter digerit.

Quapropter argumentum illud à minori ad maius non satis conuenire videtur; hoc est, ex Concilio Tridentino Episcopi, & Prælati Generales Regularium onera Missarum præterita, antiqua, stipendij tenuis, non particularia, neque in fũdatione, aut dotatione imposita, re diligenter inspecta, & pro sua conscientia, prout magis ad Dei honorẽ & cultũ, & Ecclesiarũ vtilitatẽ expediens fuerit, restringere possunt: ergo multò fortius priuilegio Nicolai Franchi Nuntij, seu Legati Sixti Papæ 4. quia Papa est supra Concilium, omnes Missarum obligationes, cuiuscunque temporis, & generis illæ sint indistinctè, & amplissimè; nulla alia ex supradictis habita consideratione: non obstantibus promissio-

nibus, ac interdum iuramentis, ad Missarum participationem tantummodo admissæ intelliguntur.

SECTIO VII.

Remedia.

SAcerdotum igitur conscientiæ in tanta difficultate studiose consulendum est; & remedia, quantùm fieri potest, exquirenda.

Restrictio Missarum non potest fieri à Sacerdotibus particularibus.

§. 1. Certum est primo loco, nullum Sacerdotem priuata auctoritate Missarum numerum, & obligationes posse diminuere: nam voluntatem relinquentium, vel donantium stipendia, quibus determinatus numerus Missarum exquiritur, Sacerdotes mutare non possunt. Hoc enim munus est solius Papæ, qui in relictis, & donatis ad pias causas, vt in proposito rationabili causa interueniente, dispensare potest. Nauar. *consil. tom. 1. lib. 3. de celebrat. Missar. consil. 9. nu. 9.* Azor. *instit. mor. par. 3. lib. 12. cap. 6. q. 4.* S. Carolus Borrom. *act. eccles. Mediol. par. 3. decr. visitat. ibi. Quæ pertinent ad Clerum.*

§. II.

§.II. Sacerdotes particulares, qui beneficio Capellaniæ, vel recepto stipendio iam obstricti sunt ad celebrandum, si noua stipendia receperint, ea restituant; vel statim alijs tribuant sacerdotibus, qui quam primum Missas pro prædictis stipendijs celebrent; vt dictum est *sect.4.conc.5.* & quæ ibi adnotantur, sunt maximè aduertenda §. 1.& 2. præcipuè autem propter decreta S. Congregat. Concilij; posita sup. *sect.5.*

Sacerdotis particularis remedia

§.III. Si verò stipendium Capellaniæ, vel Anniuersarij, vel Missæ quotidianæ, à defunctis relictæ; tenue sit, & incongruum, Sacerdos ab Episcopo Missarum reductionem ad minorem numerum obtineat; dummodo Missæ non sint in fundatione, vel dotatione, aut post Concilium Tridentinum impositæ; vt infra dicitur §.5. vbi aliæ ponuntur limitationes.

§.IV. Si autem aduentitia stipendia minoris valoris sint, quam lex, aut consuetudo disponit, Sacerdotes ea non recipi-

Remedia stipendii iniusti.

recipiant. Vel si receperint, & non aduerterint, & Missam celebrauerint, rogent stipendia dantem, vel cogant apud debitum Iudicem, vt legitimam eleemosynam exhibeat. Vel si acceperint, & cognouerint, & tacuerint, celebrare debent secundùm numerum, ac intentionem petentium Missas, sub pœna grauissimi peccati, & sub onere restitutionis: vt ex Decreto S. Congregationis Concilij sancitum est; vt videri potest sup. *sect.4.conc.1.§.5.& sect.5.*

De reductione Missarum.

§. V. Ecclesiarum obligationibus aliquod remedium præstare possunt Episcopi in Synodo Diœcesana; & Monasteriorum oneribus Prælati Generales Regularium in suis Capitulis Generalibus: qui re diligenter inspecta, pro sua conscientia in dictis Ecclesijs Missarum numerum diminuere possunt, vt habetur in Concilio Tridentino *sess.25.de reform.cap.4.*

1 Circa quam moderationem primò animaduertendum est Prælatos, qui eam habent auctoritatem, in diminuendis

nuendis obligationibus iam inductis, prudenter, cautè, & cum timore lædendi conſcientias ſuas procedere debere.

2 Tum quia tractatur de mutanda diſpoſitione, quam verus Dominus rei inſtituerat; quod eſt negotium difficile; nam vltima voluntas defuncti modis õnibus ſeruanda eſt. 13.*q*.1. & ideo iuſta cauſa debet adeſſe. Ioan. Dried. *de libert. lib.* 2. *cap.* 4. Io. Molan. *de pijs teſtam. cap.* 63. Roderic. *ſum. par.* 1. *capit.* 251. *cõc.* 13. Iuſta verò cauſa eſt, ſi curſu temporis Clericorum, aut Religioſorum numerus eſt diminutus: aut Eccleſiæ, vel Monaſterij reditus extenuantur; vel impenſæ maiores fiunt; & cætera huiuſmodi. Azor. *inſt. mor. p.* 3. *li* 12. *cap.* 6. *q.* 5. Quod ex verbis Concilij Tridentini *loco cit.* habetur.

Vltima voluntas defuncti ſeruanda.

3 Tum quia multi ſuperiores, & multa capitula, & Conuentus facilè ſe obligant ad Miſſas dicẽdas ex auaritia, cognatione, amicitia, & precibus, & poſtea volũt ſe obligatione exonerare, vel

vel eam diminuere, ſine tamen receptorum reſtitutione, cum magno relinquentium, ſeu donantiũ ſcandalo. Sunt verba Nauarri (*conſil. tom. 1. lib. 3. de celeb. Miſſar. conſ. 9. numer 9. in fine.*)

Reductiones indebitæ non valent.

4. Tum quia reductiones indebitæ animas, præcipuè defunctorum debitis ſuffragijs fraudant, & furtum, & reſtitutionis onus inuoluunt; quia *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* (*capit. oblatum: de reg. iur. in 6.*) Et reductiones contra mentem teſtatorum, & iuris communis, & Sacri Concilij Tridentini diſpoſitionem factæ, ſunt nullæ, ac nullius roboris, & momenti. Et ita Miſſæ malè reductæ ad priſtinum numerum, iuxta mentem teſtatorum redigi, & quæ non ſunt celebratæ, celebrari debent. Io. Franc. Leo. *theſau. fo. eccleſiaſt. par. 2. ca. 11. de voto, & voti diſpenſation. numer. 39. 40. & 41.*

Miſſæ in fũdatione non reducibiles.

5 Reductio non habet locum in Miſſis in fundatione appoſitis: nam verba Concilij apertè ſonant de Miſ-

ſis,

ſis, ex varijs defunctorum relictis, à teſtatoribus præſcriptis: non autem de impoſitis in fundatione.

6 Præterquam quòd Epiſcopus contra conſtitutiones beneficij diſpenſare, vel immutare non poteſt ſine conſenſu patroni. Ionoc. *in cap. fin. de cleric. non reſiden. & poſt* Anton. Abb. Imol. & Dom. *tenet* Felin. *in ca. cum acceßiſſent. de conſtit. numer.* 17. *verſu, Et per hoc dictum.* Ergò multò minus diſpenſare poterit ſuper reductione numeri Miſſarum. Io Franc. Leo. *vbi ſup. num.* 35.

Beneficij autẽ Eccleſiaſtici nomine intelligitur etiam Capellania, ſiue Capella cum habeat ſpirituale annexum, *vt ex ſacris can. explicat* Paul. Fuſc. *de viſitat. & regim. eccleſ. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 2. Et communiter dicitur Beneficium ſimplex, quando ei cura non eſt annexa. *Idem ibid. num.* 4. **Capella eſt beneficium eccleſiaſticum.**

Et quamuis Capellania eſſet parui valoris, & modici fructus, non excluditur, vt non ſit beneficium eccleſiaſti-

cum: valor enim non diminuit eius qualitatem. *Idem numero* 16.

Capella quid.

Capella verò sumitur etiam pro Altari, in aliqua Ecclesia constructa; & insuper pro Capella extra Ecclesiam posita, propter maiorem fortasse alicuius populi cõmoditatem. Quintil. Mandos. *in reg. de Annalib. q.* 17. Fusc. *loco cit. nu.* 6.

7 Quamobrem nullus Prælatus eas Missas relictas restringere potest, quæ ex fundatione, aut dotatione Ecclesiæ, vel Altari celebrari debent: etiam si fructus beneficiorum huiusmodi pro Missarum oneribus sustinendis non sufficiant. Nam mentem fundatorum ad vsus pios disponentium, inferior à Papa, quamuis esset Apostolicæ Sedis Legatus, alterare non potest. *Clem.* 2. *ante med. & glo. ibi. verbo Sedis Apost.* 1. *&* Abb. *num.* 3. *de relig. dom.* Felin. *in cap. cum accessissent. de constitut. num.* 17. *q. in fi.* Graff. *decis. aur. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 53. *num.* 11. Piasec. *prax. episc. par.* 2. *cap.* 3. *de visitat. benef. simpl. ante numer.* 31. Io. Franc.

Franc. Leo *thes. fo. eccles. par. 2. cap. 11. numer. 33. & 34.*

* 8 Habetur denique de hac re declaratio S. Congregationis Concilij, quam ponit Piasec. *loco cit. num.* 31. sub anno 1591. die 3. Martij; his verbis: *Congregatio Concilij censuit, ex decreto Concilij cap. 4. sess. 25. non licere Episcopo reducere onera Missarum in fundatione apposita.* Eandem referebant declarationem. Vgolin. *de off. Episc. capit.* 61. *num.* 1. Io. Franc. Leo *vbi sup. num.* 33. Hieron. Sorb. *annot. ad compend. priuileg. verbo Missa* 3. *ibi, Secundò notandum.* Garcia *de benef. tom.* 2. *par.* 7. *cap.* 1. *numer.* 131. Ricc. *prax. fo. ecclesiast. resol.* 341.

* Quæ declaratio renouata est decreto eiusdem S. Congregationis, sub anno 1625. die 22. Septembris; his verbis: *Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera vlla Missarum celebrandarum aut post idem Concilium imposita, aut* Decretum S. Congreg. Concilii.

in limine fundationis. Quod Decretum cum alijs de Celebratione Missarum, positum est superius *sect.* 5.

Idcirco quamuis legatum pro Missis sit valde tenue; recurrendum est pro remedio ad S. Sedem Apostolicam, quæ absq; vlla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse iudicauerit: vt asserit eadem S. Congregatio in Declarationibus *super Decretis de celebratione Missarum ad primum dubium*.

Si autem in fundatione beneficij expresse cautum fuerit; vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, ab Episcopo reduci poterit: nunc Decreta S. Congregationis hanc legem fundationis non sustulerunt: vt declaratum est *loco citato*.

Restrictio missarum ob tenue stipendiũ temporale.

* 9 Præterea, Prælati non possunt obligationes Missarum restringere, quando stipendij diminutio in varijs defunctorum relictis non est perpetua, sed temporalis: quando videlicet prædium, quod pro tot celebrandis Missis legatũ fuerat, aliquibus annis re-

ditus

ditus exiguos præstat: alijs autem magnos, & opulentos. Tum quia defectus vnius anni excessu alterius compensatur: tùm quia cùm reliquis annis, quando fructus temporales excrescunt, non augentur Missæ obligatæ: ita è conuerso, diminutis fructibus aliquibus annis onus Missarum diminui non debet, vt seruetur æqualitas. Roderic. *sum. tom. 4. capit. 52. de Missa. num. & conc. 10.* Perez de Lara *de Anniuers. &* Capellan. *lib. 1. capit. 15. num. 15.*

Missæ particulares reduci non possunt.

10 Ad hæc, Prælati nec etiam possunt diminuere Missas particulares votiuas, vel pro defunctis, vel aliàs similes, quæ stipendijs à particularibus personis petuntur, nisi consensus eorum, quibus illæ debentur, habeatur; quod rarò, vel nũquam accidere solet. Nam iustæ causæ Prælatis ad id concedendum non adsunt, quia hoc est contra illud ius naturale; *Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. l. id quod. ff. de reg. iur.* Nauar. *consil. tom. 1. lib. 3. de cel. Miss. cõc. 9. n. 9. & cõc. 11. num. 1.*

Missæ in futurum restringi non possunt.

11 Amplius, nullo modo restringere possunt numerum Missarum, quæ stipendijs in futurum sunt petendæ; in ijs enim, in quibus aliquis potest dispensare, non potest in futurum statuere; nam esset occasio peccandi, & fideles decipiendi Federic. *cons.* 275. Felin. *in cap. fin. de constit. capit. mala dist.* 8. M. Anton. Genuen. *man past. cap.* 72. *n.* 3.

Decretum S. Congreg. Concilii.

* Ideo S. Congregatio Concilij, auctoritate summi Pontificis, reuocauit priuilegia & indulta omnia, quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tam sæcularibus quã regularibus, cuiuscũq; Ordinis, cõgreg. Instituti, quãcũque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat, vt superiùs relatum est *sect.* 5. & in Declarationibus eiusdem S. Congregationis *super Decretis de celebratione Missarum ad* 6. *dubium.* determinatur, quòd illa verba. *In futurum suscipiendis*, intelligenda sunt de oneribus suscipiendis post priuilegium. Declarationes autem huiusmodi

in

in prædicta *sect.* 5. positæ sunt.

12 Valet igitur solùm reductio in Missis, quæ varijs defunctorum relictis impositæ sunt, sine titulo beneficij ecclesiastici; etiam si testamento (non fundatione, seu dotatione, neque post Concilium Tridentinum, vt dictum est sup. §. 5. *numer.* 5.) in aliqua particulari Ecclesia, Cappella, vel Altari essent celebrandæ. Et ita intelligi possunt. Nauarr. *consil. tom.* 1. *li.* 3. *de celebr. Missar. cons.* 11. *numer.* 2. Roderic *qq. regular. tom.* 1. *q.* 43. *art.* 13. Mirand. *manua. prælat. tom.* 1. *quæst.* 41. *art.* 24. Reginald. *prax. fo. pænit. tom.* 2. *lib.* 23. *cap.* 17. *numer.* 239. *ex* Henriq. *libr.* 9. *cap.* 22. §. 6. *in fine*; qui loquuntur de reductione Missarũ in Capellis, Capellanijs, siue in beneficio Capellaniæ fũdatis. Reductio valida.

13 Et habet etiam locũ reductio in Anniuersarijs, si ob eorum numerum, vel stipẽdij tenuitatem obiri nequeũt; vt declarauit S. Congregatio Concilij Archiepiscopo Neapolitano, anno, 1583. die 25. Nouem. apud Steph. Quaran. Reductio etiam in Anniuersariis. Declaratio S. Congreg. Concilii.

sum.

ſum.Bull.verbo Miſſa. his verbis: *Cum ex libello hoc, Capituli iſtius nomine oblato, cognitum eſſet ab Illuſtriſsimis Cardinalibus qui Sacra Concilij Tridentini decreta interpretantur, dubitari abs te, an eiuſdem Concilij decretum ſeſſ. 25. capit. 4 intelligatur etiam de Anniuerſarijs, ij Amplitudini tuæ ſignificandum cenſuerunt decretum prædictum in ſacrorum etiam Anniuerſariorum reductione locum habere, &c.*

Reductiones obligationum ante Conciliũ Trid.

14 Hæc Prælatorum facultas intelligenda eſt de oneribus Miſſarum ante Concilium Tridentinum impoſitis. Ita ab Illuſtriſſ. Cardinalib. S. Cõgreg. Concilij, interpretib. fuiſſe olim declaratum, docebant Hieron. à Sorbo in *annotat. ad comp. priuileg. regular. verbo Miſſa 3.* Confett. *ſummar. priuileg. ord. mendic. tit. 19. de diu. off. & Miſſar. celeb. c. 3.* Roderic. *qq. regul. tom 1. q. 43. art. 13.* Mirand. *man. prælat. tom. 1. q. 41. art. 24.* ex Gaſp. Paſſa rel. *can. 60. de remed. Miſſar.* qui aſſeruit, hoc ſibi conſulenti à dictis Illuſtriſſ. reſponſum eſſe Romæ die 7. Febr. 1573.

Sed

* 4 Sed nouissimè habetur Decretum. S. Congregationis Concilij, quo expresſè hoc ipſum declaratur; vt habetur hic ſup. *num.* 8. & etiam cum alijs Decretis ſuperiùs *ſect.* 5.

15 Miſſarum numerus iuxta vires legati reſtringendus eſt. Ideo Prælati poteſtatem habent reducendi potius ſtipendia, quàm Miſſas; vt ſcilicet ex multis paruis eleemoſynis fiat iuſtum ſtipendium. Vgolin. *de off. Epiſc. cap.* 61. *num.* 1. *&* Io. Franc. Leo Theſ. *fo. eccleſ. par.* 2. *cap.* 11. *numer.* 36. *&* 37. *& ex S. Congregatione in deciſione ſub. titul. Mediolan.* Ricc. *prax fo. eccleſ. deciſ.* 341.

16 Debent prius, & magis reducere Miſſas, ante plurimos annos, præſertim centum inſtitutas, quàm circa fundatas à pauco tempore. Nauar. *tom.* 1. *conſil. libr.* 3. *de celebr. Miſſar. conſ.* 11. *num* 2. *&* 3. In his enim poſſunt contingere iuſtæ cauſæ reductionis, videlicet, reſtrictus numerus Sacerdotum, reditus diminutio, & maiores ad victum, & veſti-

Antiquiores obligationes magis reducibiles.

vestitum expensæ; vt supra. §. 5. *num.* 1. dictum est.

Reductionis modus.

17 Reductionis præcipua conditio, à Concilio Tridentino *vbi sup.* determinata, ea est, vt eorum defunctorum, qui pro suarum animarum salute ea legata reliquerunt, commemoratio fiat. Quę commemoratio fieri poterit, vt Prælatus decernat, vt semel in hebdomada generalis Missa celebretur pro defunctis; vel vt singulis secundis ferijs recitetur, vel cantetur primum Nocturnum defunctorum; vel aliquid aliud eiusmodi, quo animabus benefactorum consulatur. Vgolin. *vbi sup. cap.* 61. *numer.* 1. In Missis autem reductis commemoratio fiat per intentionem applicationis Missarum, & per preces in secundo Memento, & per Collectas in Missis faciendas. Ita declarauit S. Congregatio Concilij super prædicto *ca.* 4. *sess.* 2. *in decisione sub tit. Mediol.* quæ incipit, Commemorationi faciendæ. *Apud* Io. Franc. Leo. *loco sup. cit. numer.* 38.

Præ-

18 Prælatus denique iniungat ſubditis Sacerdotibus, vt eas Miſſas pro antiquis oneribus celebrent, quæ ab eis commodè celebrari poſſunt, & ſolùm ſuper illis, quæ ſuperſunt diſpenſet; vt voluntas iniungentis Miſſarum obligationem lædatur quanto minus fieri poteſt. Nauarr. *vbi ſup.* *Conſ.* 10. *numer.* 6. Roderic. *ſum. par.* 1. *cap.* 251. *conc.* 1.

§. VI. Poſſunt enim, ac debent Prælati, tam ſeculares, quàm regulares, ſubditis Sacerdotibus in virtute obedientiæ præcipere, vt certa, ac determinata intentione, iuxta obligationum onera, celebrent. Et ſubditi ſub mortali obedire tenētur, quando nō eſt ſimplex ordinatio Prælati; ſed verum præceptum; Prælati enim ſpiritualem habent iuriſdictionem in ſibi ſubditos ſacerdotes, quia ſaluti animarum eorum incumbunt. Subditi verò in omnibus, quæ ad hunc finem diriguntur, eis obedire tenentur. Sed vt ſubditi Sacerdotes has, vel illas Miſſas ad præceptum ſuperio-

Prælati poſſunt præcipere ſubditis vt determinatè celebrent.

superioris dicant ad salutem spectat animarum suarum: alioquin, ipsis non celebrantibus pro stipendia largientibus, fraus, iniustitia, & peccatum mortale committitur, & restitutionis onus exurgit; vt supra *sect.4. conc.3. & 5.* Ergo Prælati possunt præcipere subditis Sacerdotibus, vt secundum obligationes, certa intentione celebrent: & ipsi subditi obedire tenentur. Armilla *verbo Missa numer.36.* Cordub. *libr.1. quæst.3. notab.5.* Roderic. *in exposit. Bull. composit. §. vnic. num.50.*

Regulares Prælati irritare possunt intentionem suorum Sacerdotũ.

* VII. Et quoad Sacerdotes Regulares, Prælati possunt eorum intentionem in Missarum celebratione irritare, vt sacrificij applicatio ei valeat, cui à Regulari Prælato applicatur, non cui à Sacerdote Regulari. Cordub. *vbi sup.* Confett. *Summar. priuileg. tit.19. de diu. off. & celeb. Miss. cap.3. ad fi.* Roderic. *sum. par.1. cap.231. conc.10.* Barbosa *de off. & pot. Epi. part.2. allegat.24. nu* 28. Qui quidem Rodericus declarat, hos Prælatos debere Sacerdotum subditorum intensio-

tentionem irritare, si cum sua intentione non reguletur, antequam ab eis Missa dicatur.

1 Nam Prælati Regulares sunt domini operationum subditorum, quæ possunt officere obedientiæ, quæ illis promittitur in solemni voto: ideo possunt eorum vota irritare. Angel. *verbo Votum.2.num.*17. Syluest. *tit. eo. q.* 2. § 1. Soto *de iust. & iur. libr.*7 *.qu.*3 *.art.* 1. Nauar. *man. cap.*12 *.num.*69. Azor. *inst. mor. par.*1 *.lib.* 11 *.cap.* 17 *.quæst.*3. Sed intentio Missam applicandi est operatio subditi Sacerdotis, qua potest violari obedientia Prælati, præcipientis, vt Missa pro illis applicetur, qui stipem dederunt; ergo subiecta est potestati & voluntati Superioris.

2 Neque obstat, quod Sacerdos est tam proprius minister Christi in sacrificio Missæ, vt quamuis nolit Prælatus, consecratio ab eo legitimè & realiter fiat: ergo Missæ sacrificium erit validum & vtile illi, cui à Sacerdote applicatur, etsi Prælatus irritet eius in- Instantia tollitur.

tentio-

tentionem, vt voluit *Suarez tomo.3.in 3. p.disp.79.sect.9.*

Respondetur enim, non esse simile de consecratione per intentionem Sacerdotis, & de applicatione valoris Missæ secundùm intentionem eiusdem. Nam intentio Sacerdotis in consecratione est de essentia ipsius sacrificij; ideo non potest à Prælato irritari: alias non esset sacrificium. At quòd valor sacrificij huic, vel illi applicetur, non est de essentia sacrificij. Ideo si à Prælato alteri, quam ei, in quem Sacerdotis intentio dirigitur, applicetur, est sacrificium. Quare intentio hæc applicandi valorem Missæ potest à Prælato irritari: non autem intentio consecrandi. *Roderic.sum.par.1.c.251.conc.10.*

Alia instantia.

3 Nec *valet*, quòd Prælati non sunt domini actuum interiorum subditorum; qualis est intentio Sacerdotis in Missæ celebratione.

Actus enim interior est duplex alter est merè interior: alter est interior simul cum exteriori, qualis est actus

Sacer-

Sacerdotis celebrantis. Primi quidem Prælatus non eſt dominus, ſed benè ſecundi, vt habet D. Thomas 2.2. q. 105. *art.5.* Sylueſt. *Verbo Obedientia q.* 1. Nauar. *man. ca. 23. num.* 38. Cord. *lib.* 4. *qu.* 13. Roderic. *expoſit. Bull. compoſit. §. vnico num.* 51. Euſeb. de Herrera *deciſ. mor. de obedien. numer.* 3.

4 Et Suarez, qui contrarium tenet *loco citato*, intelligi poteſt de ſubditis Sacerdotibus non Regularibus, qui eorum Prælato non tenentur obedire ex voto ſolemni, ſicut Regulares: ſed ex illius iuriſdictione. Ideo ſi contra præceptum ſui Prælati ex iuſta cauſa præcipientis, valorem Miſſæ applicent, peccant quidem mortaliter contra obedientiam; ſed eorum applicatio valet ei, cui à Sacerdote applicatur. Suarez cōciliator.

* 5 Ratio autem differentiæ inter Epiſcopum, & ſuperiorem Regularē, quoad irritationem applicationis ſubditorū Sacerdotum, eſt; quòd iurisdictio Epiſcopi non ſe extēdit ad volūta- Differētia inter Epiſcopum & Prælatum Regularem

tem

tem sui subditi, sicut iurisdictio Prælati Regularis, qui est dominus voluntatis suorum Sacerdotum ex voto obedientiæ & paupertatis, vt dictum est *hic supra num.* 1. & aduertit Alphonsus de Leo. *de off. & pot. Confessar. temp. Iubil. p. 3. ad finem.*

Sacristæ Regulares possint irritate intentione suorum Sacerdotum.

6 Et quod dictum est de Prælatis Regularibus, valere etiam de Sacrista Regulari, docet Graffius *consil. tom. 1. lib. 3. de iure patron. consil. vnico in fi.* Cùm enim Sacrista in illo officio gerat vicem Prælati, quando in Conuentu sunt multæ & continuæ obligationes potest obligare Sacerdotes, vt secundum suam intentionem celebrent.

* Quod tamen intelligendum est, si Prælatus ita voluerit, ac præceperit.

Prælati Regulares applicent Missas distinctè.

* 7 Prælati autem, qui subditorum suorum applicant saarificia, melius ac tutius agent, si distinctè & ordine debito pro illis applicent, qui pro varijs Missis stipendia dederunt, quàm si vniuersaliter, & in confuso; vt scilicet

primas tres applicent pro eo, qui prius tres Missas stipendio poposcit; deinde alias quatuor pro eo, qui postea illas quatuor procurauit; & sic de alijs: vt benè adnotauit Alphonsus de Leone *loco sup. cit. nu. 27. versu, Aduertendum tamen.* Sed remedia prosequamur.

§. VIII. Regulares Sacerdotes vna Missa multis eleemosynis datis pro multis dicendis Missis possunt satisfacere, quando illæ eleemosynæ non æquiualent valori vnius Iulij: generali solummodo dictorum stipendia conferentium commemoratione; ex priuilegio Leonis X. *constit.* 7. apud Confett. *in Collectio. priuilegio.*

* Decreta enim nouissima S. Congregationis Concilij de celebratione Missarum, superius posita *sect.* 5. reuocant priuilegia solùm quo ad onera Missarum in futurum recipienda.

Quoquidem priuilegio sine alia suorum Superiorum dispensatione Regulares frui posse, asseruit idem Confettius *in summar. priuil.* 19. *cap.* 3.

Stipendij parui remedium pro Regulas.

* 1 Nec doctus vir miratur, quòd sine vlla exceptione hoc priuilegium admiserim. Tum quia Alphonsus Casarubios *in Compendio priuilegiorum Regularium verbo Missa quoad modum, nu.* 14. admonuit, cauendum esse omninò ab vsu huius priuilegij, quia revera nullius est valoris, & subreptitiè obtentum est. Tum quia apud alios Collectores, præcipuè recentiores, & diligentissimos dictorum priuilegiorum, nulla de hoc fit mentio.

* 2 Equidem prædictum priuilegium non immeritò me admisisse arbitror, licèt, n. repererim, quòd Casarubios olim dixerit; illud esse nullius valoris; vidi postea Io. Baptistam Confertium, de Regularibus optimè meritum, qui in præfatione ad Lectorem sub initio suæ Collectionis priuilegiorum Regularium, apertè his præcisis verbis testatur; Dicta suæ Collectionis priuilegia omnia, ex authenticis transumptis extracta, & exemplata fuisse. Inter quæ priuilegia prædictum Leonis. X. extensum habetur,

3* Neque vllo pacto insuscipionem incidere poteram, dictum priuilegium nullius valoris, vt dicunt, inter tot alia authentica è digitis solertissimi Confertij elapsum fuisse; cum viderim eundem Confertium in Summario materiarum nobilium priuilegiorum *tit.* 19.*cap.*3.*versu*, *Quibus etiam*, ponderasse modum, quo Regulares eo priuilegio vti possunt, hoc est, absque vlla suorũ Superiorum dispensatione. Et subiungit, quòd hoc, alijs priuilegijs, tãquam Concilij Tridentini decretis non contrarijs, & nouissimè confirmatis omnes Regulares vti licitè possunt.

* 4 Neque subreptitium illud existimabam, cùm in eo concedatur, quòd Sacerdotes vna Missa satisfacere possint tot iniustis stipendijs, quot sufficiunt ad vnum integrum stipendium constitu- dum: nam sine Põtificio priuilegio à Sacerdotibus omnibus id fieri posse, multi & grauissimi Doctores probabiliter ante nouissimum Decretum S. Congregationis Concilij hoc

prohibens, docuerunt. Cord. *libr.* 1. *qu.* 4. *dub.* 1, Honcala *opusc. de valore Missæ, articul.* 11. & 16. Angles *flor. in* 4. *p.* 1. *quæstion. de valore Missæ, articul.* 2. *conc.* 2. *append.* 2. Nugn. *de Sacrament. tom.* 1. *par.* 3. *tract. de sacrif. dub.* 9. *conc.* 2. Gliamas *method. par.* 3. *ca.* 13. §. 17. Reginald. *prax. fo. pœn. li.* 23. *n.* 234. Suar. *to.* 3. *in* 3. *par. disput.* 86. *sect.* 4. *versu, Vnde consequenter.* Qui quamuis à doctissimo Bonacina pro contraria opinione citetur, id apertè docet: imò idem etiam asserit, quando Sacerdos promisisset, se paruo stipendio celebraturum.

* 5 Et quòd alij Collectores illius priuilegij non meminerint, non mihi videbatur officere: imò cum ipse Confertius illud non inuenerit apud alios, faciliùs conijcere, & argumentari poteram, Conferttium vidisse authenticum; sicut de omnibus alijs testatur, vt dictum est.

* 6 Neque facilè existimari potest, Confertium, qui pluribus annis omnium ferè Ordinum Regulariũ Conser-

uator

uator in celeberrima, & frequentissima Florentiæ Ciuitate extitit; & non pauca negotia eorum, & Apostolicorum ipsis concessorũ priuilegiorũ tractauit; & circa ea priuilegia diligenter multa animaduertit, obseruauit, atque notauit; vt ipse ijsdem verbis loquitur in Epistola dedicatoria ad Sum. Pont. Clementem VIII. non vidisse animaduersionem prædictam Alphonsi Casarubios, Quare cum priuilegium huiusmodi extensum posuerit, & circa modum vsus, & applicationis illius aliqua adnotauerit, vt dictum est, illud authenticum & legitimum esse putari potuit.

* Quibus omnibus expensis, non vidi, neque video, cur dictum priuilegium sit reijciendum: Hoc autem non solùm determinationi S. R. Ecclesiæ, vt debeo, & volo, sed omnium doctorum, & prudentum virorum, & præcipuè Præstantissimi Viri prædicti, iudicio & sententiæ libentissimè remitto. Non valet in futurũ.

* 7 Illud verò prætereundum non Priuilegiũ

vnius Missæ pro nouem.

non est, Sacerdotes Regulares hoc Priuilegio vti non posse pro Missis in Posterum recipiendis: id est, post priuilegium: nam S. Congregatio Concilij, auctoritate Summi Pontificis, omnia priuilegia eiusmodi pro Missarum oneribus in futurum recipiendis, reuocauit, vt aliàs adnotandū est, & supra in ijsdem Decretis, & eorum Declarationibus *ad 6. dubiū. sect. 5.* positis, habetur.

§. IX. Præterea Sacerdotes Regulares ab eorum Prælatis Generalibus dispensationem possunt obtinere, vt celebratione vnius Missæ cum nouem Collectis, vel inferioris numeri, ad eorundem Sacerdotum deuotionem recitatis, possint satisfacere pro nouem Missis, vel minoris numeri, etiamsi specialiter de Requiem, vel de alijs Sanctis dicendæ fuissent: ex priuilegio Iulij II. constitut. 7 & melius Leonis X. constitut. 8. apud Confett. *in Collect. priuileg. vt sup. sect. 6. argumen.* 21. *prætactum est.* Quod priuilegium Ordini Minimorum concessum fuerat; sed reliquis

quis Ordinibus Regularium per communicationem priuilegiorum commune factum est.

1 Quæ dispensatio fieri potest etiam extra tempus visitationis, vt ex Bullis dictorum Pontificum testatur Nauarrus *to.1.consil.lib.3.de celeb. Missar. cons.10.ad 3.* dicens: An huius priuilegii applicatio fieri possit extra visitationem.

* Altera quæstio est, *an præfatus Generalis posit etiam extra tempus visitationis dispensationem præfatam facere.* Et huic *respondetur*, quod hoc innuit Bulla Iulij, & satis clarè exprimit Bulla Leonis. Hæc Nauarrus.

* 2 Aliqui tamen putant Nauarrum in dictis verbis partem affirmatiuam minimè docere; sed negatiuam esse sustinendam, quòd Prælati Generales Regularium extra tempus visitationis eam dispensationē impertiri non possunt; quoniam supponendum est, inquiunt, Hieronymum Sorbum *in additionibus ad Casarub. loco superius citato*, & Alexandrum Peregrinum *in suo Compendio priuilegiorum,*

rum, eiusmodi Pontificias constitutiones perlegisse, & considerasse; qui tamen asserunt, Generales vti posse hoc priuilegio in visitatione tantum.

* 3 Ego verò puto Nauarrum docuisse, etiam extra tempus visitationis id posse conc:di, dum se refert ad id, quod Bulla Iulij innuit, & Bulla Leonis satis clarè exprimit; & absolutè ita teneri posse. Nam Iulius inquit; *Et si in huiusmodi visitatione, vel aliàs* (notandum, quod dicitur, *vel aliàs.*) *in aliquibus locis dicti Ordinis Minimorum, tam pro Ecclesiarum fabricis, quàm alijs Fratrum necessitatibus, Missarum multitudinem copiosam inuenires, & cognosceres.* Vbi existimo quod verbum *Inuenires*, respondeat visitationi: illud autem verbum *cognosceres*, respondeat illis verbis, *vel alias*; id est, etiam extra visitationem. Ecce quomodo Bulla Iulii innuit, vt dixit Nauarrus, partem affirmatiuam. Sed audiamus Leonem, qui in sua Bulla in fine concludit:

Quod-

Quodque dicti Ordinis Generalis Corrector, pro tempore existens, cum omnibus fratribus quarumcunque Domorum dicti Ordinis Minimorum, in dictis (partibus Alemaniæ, & Bohemiæ) & alijs quibusue Regnis, & locis existentium, super dictis Missis modo præmissis, celebrandis, dispensare liberè, & licitè valeat, auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam concedimus, pariter, & indulgemus. Ecce quomodo vniuersaliter; nulla facta mentione de tempore visitationis tantùm, priuilegium prædictum elargitur. Et ideo benè affirmat Nauarrus, quod partem affirmatiuam satis clarè exprimit Bulla Leonis. Quamobrem ex Nauarro, & meliùs ex Bullis Pontificiis habetur, vt ego arbitror, quòd Generales Ordinum Regularium extra visitationem etiam possunt eo vti priuilegio, & dispensatione.

4 Sed Prælati Generales non passim hoc indulgeant: sed ea moderatione, quam ex eorundem Pontificum constitutionibus, præscripsit Nauarrus *Moderamẽ in applicatione dicti priuilegii.*

*dicto consil.*10.*num.*4.*&* 5. Vt scilicet illis constet, onera missarum huiusmodi recepta fuisse ratione fabricæ, vel necessitatis fratrum. Et quod illæ missæ dicantur, quæ commodè ab ipsis Patribus celebrari possunt. Et quòd omnia bona, quæ fiunt in Ordine, communicentur, & applicentur ijs, pro quibus Missæ illæ essēt dicēdæ, vsq; ad eam quantitatem, quæ eis ex institutione missarum debetur. Et quòd hæc dispensatio authenticè fiat: id est, per Secretarium, vel Notarium Monasterii, vel Ordinis; vt cùm oportuerit, possit extrahi fides de huiusmodi cognitione & dispensatione. Et quòd dispensatio fiat per ipsum Generalem: non per alium: hæc enim securior sententia est: quia Pontifices in prædicta concessione de solo Generali loquuntur, & quia hæc facultas magna est, & publicam concernit animarum vtilitatem. Easdem refert conditiones Confettius *in summar. priu.l.tit.*19.*cap.*3.

* 5 Tandem cauendum est, ne dispen-

pensatio fiat pro futuris missarum oneribus: ex decreto S. Congregationis Concilij, vt prætactum est hic *sub.* §. 8. *num.* 7. & habetur in eiusdem S. Congreg. decretis *de celebratione Missarum superiùs positis sect.* 5.

* 6 At in missa de duplici festo, in qua ex rubrica Missalis Romani, vna tãtum missa dicenda præscribitur, poteritnè regularis Sacerdos ex prædicto priuilegio plures Orationes, siue Collectas dicere, & pro multis missis satisfacere? Si de facto dicãtur plures Collectæ satisfiet obligationibus vigore priuilegij, quod quidẽ sine limitatione pro omnibus missis conceditur. Sed quoniam dicti summi Pontif. in eo priuilegio concedunt, vt Collectæ dicantur in numero impari, scilicet nouem, vel septem, sicque de alijs descendendo, &c. quod est secundùm dispositionem rubricæ Missalis *tit. de ordinationibus n.* 12. ideo apparet, dictos summos Pontifices voluisse aliquo modo suã concessionem rubricæ Missalis cõ- *In missa de duplici an valeat. priuilegiũ de multis Collectis.*

formare. Quapropter in missa de Duplici vel obseruari poterit Rubrica de vna Collecta solum, vel pauciores essent fortasse dicendæ. Quando verò in missa de Duplici fit vna, vel plures commemorationes ex dispositione Dominicarum, vel Sanctorum, aut feriarum occurrentium, quot Collectæ huiusmodi dicuntur, tot obligationibus satisfieri potest: cùm Pontificiæ Bullæ has Collectas nullo modo limitauerint. Alphons. de Leo. *de off. & pot. Confessar. temp. Iubil. par. 3. numer. 3.*

Remediū vltimum pro missarum obligationib.

§. 10. Si facultates, & priuilegia prædicta omnibus Ecclesiarum, vel Monasteriorum obligationibus, quibus ob magnum numerum satisfieri non potest, completè non suffragentur, ad summum Pontificem recurrendum est, & impetrandum, vt quando in fine anni multæ dicendarum missarum obligationes supersunt, quibus Ecclesia vel Monasterium satisfacere non potuit, illæ missæ tanquam dictæ habean-

beantur, & ſtipendia, quibus miſſarum celebratione non eſt ſatisfactum, vim habeant eleemoſynæ, & in miſſis, quæ in dictis Eccleſijs dicuntur, generali intentione pro illis benefactoribus ſatisfiat, qui ea ſtipendia dederũnt: adiunctis Officiis defunctorum, aut miſſis cantatis, vel aliis orationibus: vel alio quouis modo, qui prudentiæ & ſanctitati ſummi Pontificis magis conuenire videbitur. Reginald. *prax. fo. pænit. tom. 2. lib. 23. c. 17. nu. 239.*

An Papa concedere poſsit, vt in futurum plura ſtipendia pro vna miſſa ſum. Poſſint.

§. 11. Equidem apud aliquos Doctores dubium eſt, an poſſit iuſta cauſa intercedere, qua ſummus Pontifex alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio poſſit indulgere, vt in futurum plura ſtipendia ſumi poſſint, & vnum tantum, vel pauca miſſarum ſacrificia offerri; vt adnotauit Azor. *inſtitut. mor. par. 3. lib. 12. c. 6. quæſt. 5.* Cum tamen certum ſit, legitimam cauſam oriri poſſe, vt numerus ſacrificiorum antiquarum obligationum à ſummo Pontifice reſtringatur: non ſolum earum, quæ varijs defun-

ctorum testamentis relictæ sunt: hoc enim possunt Episcopi, & Generales Regularium eo modo, quo dictum est §.5. Sed etiã quo ad missas votiuas, aut alias particulares à personis particularibus stipendio olim oblatas, & etiam in fundatione Capellæ, vel beneficij impositas, vel post Concil. Trid. inductas: vt innuitur superiùs §.1. & §. 5. *nu. 7. huius sect.*

Papa taxare, & augere potest missarum stipendia.

Amplius, certum est etiam, in stipendijs in posterum pro missa recipiẽdis iustã causã, & necessitatẽ occurrere posse, qua à Papa constituatur, vt stipendia, quæ pro missis dicendis offeruntur, sint maiora: quando scilicet Religiosi interdum graui paupertate afficiuntur, atque maiorem diei partẽ in cultu diuino, literis, orationibus, prædicationibus, confessionibus impendunt: nam ex huiusmodi Religiosorũ sustentatione magna exoritur Ecclesiæ vtilitas, & ipsis etiam missas stipendio petẽtibus beneficium resultat,

cũ eis dictorũ Sacerdotũ bona opera applicentur. *Ita habet* Cord. *lib.* 1. *qu.* 4. *dub.* 3. Et aliæ causæ de hoc oriri possũt quoad Sacerdotes seculares, scilicet minor Sacerdotum numerus, augmẽtum pretii rerum & maiores expensæ.

§. XII. At affirmandum est, iustam causam & necessitatem contingere posse, vt summus Pontifex possit supradicto modo pro futuris obligationibus missarum cum huiusmodi Ecclesiis, vel Monasteriis dispensare.

1 Nam Papa est dispensator, etsi non dominus, legis diuinæ, & naturalis: atque licet non habeat absolutum dominium omnium rerum temporalium hominum, & humanorum contractuum, iurisdictionem tamẽ habet, ac potestatem ad eorũ gubernationẽ, quatenus ad finẽ supernaturalẽ aliquo modo expediunt: ideo ex rationabili causa potest relaxare obligationem votorum, iuramentorum, pactorũ inter homines; etsi iure diuino, & naturali Deo, & hominibus ad ea ser- Papa dispẽsator legis diuinæ, & naturalis

uanda

uanda teneamur: & in restitutione incertorum bonorũ, atque in obligationib. vltimarum voluntatum, & in pijs causis dispensare: Syluest. *verbo Papa q.* 12, *&* 13. Dried. *libr.* 2. *de libert. cap.* 4. Io. Molan. *de piis testam. cap.* 63. Cord. *lib.* 1. *q. dub.* 3. Arag. *de iustit. & iur. q.* 85. *artic.* 2. *dub. de iusto stipendio missarum. ad* 4. *arg. dicto* 1. *&* 2. Roderic. *qq. regul. tom.* 1. *qu.* 43. *art.* 17. Regin. *prax. fo. pœnit tom.* 2. *lib.* 23. *c.* 17. *num.* 239. Henriq. *lib.* 9. *c.* 22. §. 7. Molfes. *prõptuar. iu. tom.* 1. *tract.* 3 *c.* 16. 31. Barbõsa *de off. & pot. Epi. par.* 2. *allegat.* 24 *num.* 5.

2. Quamobrem sicut summus Pontifex potest stipendia, quæ pro missis dantur, generaliter taxare, & etiam augere, si expedire iudicauerit: vt dictum est hic *sup.* §. 11. Ita poterit in futuris missarum stipendi, s & obligationibus, ad alicuius Ecclesiæ, vel monasterij beneficium dispensare, si iusta causa intercesserit, & commune Ecclesiæ bonum.

* 3 Quicquid autem satisfactio-

nisin

nis in eo casu minuitur illis, qui missarum stipendia dederunt, vel pro quibus illæ plures missæ essent dicendæ, à summo Pontifice compensatur ex inexhausto Ecclesiæ thesauro: cuius quidem summus Pontifex est dispensator.

§. XIII. Inter iustas causas huius impetrationis à summo Pontifice non solum est impossibilitas, sed etiam magna difficultas pro singulis missarum oneribus satisfaciendi. *arg. tex. in cap. querelam. de iure iuran.* apud Graff. *tom. 1. conf. lib. 3. de celebrat. Missar. conf. 5. numer. 32.*

Iustæ causæ reductionis missarũ in futurũ à sum. Pontifice.

§. XIV. Commune verò bonum, & aliæ iustæ causæ, & necessitas huius impetrationis à summo Pontifice possunt esse.

1. *Primum*, vt Sacerdotum conscientiæ exonerentur, & eorum pietati & charitati consulatur. Tot enim sunt onera antiqua, & noua legata, & aduentitia stipendia, vt eorum conscientia magnis angustijs sæpius perturbetur.

Præ-

2. Præterea, miſerum & doloroſum eſt, Sacerdotem toto ſuæ vitæ curſu quotidie ferè celebrare, & propter ſuæ Eccleſiæ, vel Monaſterij maximas obligationes, nunquam ſibi poſſe valorem ſacrificij applicare ad merendum, ſatisfaciendum, & impetrandum. Quod maximopere, & perpetuò Sacerdotis animam perturbat, & excruciat.

3 Deinde, ſi eiuſmodi Sacerdotum parentes, conſanguinei, maximi benefactores, dulciſſimi amici, vel Clerici, aut Religioſi conſocij, qui eorundem ſacrificijs confiſi ſunt, ac totis viſceribus ſeſe commendarunt, è vita decedant, ipſi Sacerdotes tot priſcis, ac nouis Miſſarum obligationibus ſunt irretiti, vt ne ſacrũ quidẽ pro eis, quibus plurimum debent, facere poſſint; quod grauiſſimum, & moleſtiſſimum eſt.

4 Secundò, vt fideles ſua vota ſoluere, & deuotionem augere, & defunctis ſuffragia exhibere ex Miſſarum celebratione valeant. Cum enim om-

nes ferè Ecclesiæ Sacerdotum, tam Sæcularium, quam Regularium, antiquis obligationibus redundent, fideles non possent stipendio ab eis petere, & consequi Missas in Altari priuilegiato celebrandas pro defunctis, aut in Altari B. Virginis vel alterius Sancti, in quo ad aliquid impetrandum, vel ex voto, deuotione, vel testamento ad soluenda stipendia pro Missis dicendis in dictis Ecclesijs sunt obstricti.

* 5 Et sæpè contingere potest in aliquibus oppidis, & locis, vbi vnus tantum, vel pauci sunt Sacerdotes, vt aliquis paterfamilias ex hac vita decedat, & eius filij saltem vnam Missam in exequijs, & sepultura illius celebrandam à suo Sacerdote stipendio procurent: qui Sacerdos alijs obligationibus Missarum præpeditus eam celebrare non possit, & alius Sacerdos liber ab huiusmodi oneribus reperiri nequeat; maxima quidem molestia, & querimonia eorum, quorum interest, qui vno sacrificio animæ,

cui

cui tantum debent, auxiliari minimè possunt.

6 Tertiò, vt glorioso Deo, & eius Beatiss. Matri Mariæ, ac cæteris Sanctis debitus honor ex sacrificijs præstari possit: nam in quacunque ferè totius orbis Cathol. Eccl. aliquod altare, aut Reliquia, siue Imago, vel Sanctissi. Crucifixi, vel B. Virg. vel alicuius Sancti reperitur, in quibus Benedictus Deus mirabilia operatur, ad beneficia Christi fidelibus exhibenda: vel in quorum deuotionem animi fidelium feruntur; qui quidem fideles stipendijs frequenter exquirunt, vt Missarum sacrificijs Dei cultus, & Sanctorum honor in eis Altaribus augeatur. Si verò Sacerdotes Ecclesiarum, & Monasteriorum eiusmodi veteribus obligationibus detenti has Missas petentes reijciant, Dei, & Sanctorum cultus, & honor minuitur, & fidelium in Deum & Sanctos religio & pietas retardatur atque tepescit.

Quic-

Quicquid autem eſt in hac re dubij, vel incerti, ſupremæ Auctoritati, Sapientiæ, Sanctitati Romani Pont. Opt. Maximi omninò remittendum eſt, cuius ſanctiſſ. pedib. hæc omnia, & meipſum humiliter, & ex animo ſubmitto.

FINIS.

ANIMADVERSIO.

Animaduertat prudens Lector, post editum hunc Librum innotuiſſe Decretum S. Rituum Congregationis 9. Nouembris 1622. relatum à Doctiſſimo Viro Bartholomæo Gauanto in Commentar. in Rubr. Miſſal. par. 3. tit. 20. num. 16. quod Miſſæ certis Regularibus conceſſæ non poſſunt ab alijs dici, nec etiam in ipſorummet Regularium Eccleſijs. Quod quidem ſi non ſolùm de ipſorummet Regularium, id eſt, Virorum Eccleſijs, qui eas Miſſas per ſeipſos dicere poſſunt, ſed etiam de ipſarum Regularium, ideſt, Monialium Eccleſijs intelligendum ſit, rationes & coniecturæ in §. 23. ſect. 4. conc. 4. adductæ, ſanctiſſimæ præfatæ determinationi cedere debent.